

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/quinquagenasymbo00hant_0

cra defactò uni & soli adstringit, irremissa industria instituram, atque in fiduciam ingredi, postremo hoc TOMO, qui plurimùm laboris conquirendo, pingendo, componendo, describendo à sola manu mea popofcerat, gratiâ DEI intra triennium perfecto, ambos anteriores eodem saltem temporis spatio à me posse absolvi. Sat citò egerim hoc pacto, modò pariter sat benè.

FINIS.



QUINQUAGENA SYMBOLORUM HEROICA,

IN

PRÆCIPUA CAPITA ET DOGMATA

S. REGULÆ

SANCTISSIMI

MONACHORUM PATRIS ET LEGISLATORIS

BENEDICTI,

OMNIUM JUSTORUM SPIRITU PLENI:

AD RECOLLIGENDUM ANIMUM HORIS SUCCISIVIS CONCEPTA,

ET

EXEGESIBUS BREVIBUS METRICO - PROSAICIS ASCETICIS ILLUSTRATA:

AUTHORE

P. CHRYSOSTOMO HANTHALER,

S. ET EXEMT. ORD. CISTERC. ANTIQUISS. ET DUCALIS MONASTERIJ VALLIS B. M. V. DE CAMPOLILIORUM AUSTR. INFER. PROFESSO, AC BIBLIOTHECARIO, NEC NON INCLYTÆ PROVINCIÆ CISTERCIENS. AUSTRIACÆ SECRETARIO.

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

AUGUSTÆ ET LINCIJ,

Impenſis Franciſci Antonij Ilger, Bibliopolæ.

CREMBSIJ, Typis Ignatij Antonij Präxl, Univerſit. Viennenſ. Typogr. Anno 1741.

depicta debitè compleat: deinde ut intentum ab Authore ulteriorem Conceptum dexterè assequatur, ad eúmque Figuræ ac Lemmatis significationem propriam, ac naturalem accommodet ritè, & applicet. Tandem sanè nec illi, qui Symbolum Conceptui applicatum commodè exsplicare, exsplicatum præterea bellè & eruditè illustrare voluerit, ingenium debet aliquando deesse.

Nequaquam interim is, qui quidlibet pingit, ac superscribit, bonum Symbolum conficit, judicio docto probandum; tam rebus, quàm Verbis dudum à præclaris Symbolorum Magistris Regulæ justæ, eæque non paucissimæ, cum ratione præscriptæ sunt. Quas antequam afferam, præmonere oportet, Symbola distingui à Viris Doctis, & alia *Heroica*, alia *Moralia* dici. Prima, quæ sola propè laudem ferunt & approbationem Eruditorum, nomen suum sortita sunt ab Heroibus Veteribus, & Bellatoribus fortissimis: qui, sive domi virtutem suam Equestribus Ludis exercerent, sive deinde ipsa in acie adversus hostem severè decertarent, hujusmodi picturis atque lemmatibus proprij Imaginem Animi in Galeis Scutisque suis coram intuentibus omnibus, qui tamen ingenio valerent, propalam præsetulerunt. Quare Symbola *Heroica* nonnisi grandibus Personis, & Factis congruè adhibentur: & quemadmodum ex Imagine, ac Lemmate componuntur, ita Symbolographi, per analogiam ad hominem, naturales rerum imagines, in Symbolo per penicillum scalprúmve expressas, appellant *Corpus*, Lemmata verò *Animam* dicunt, utrisque plurimæ legi adstrictis. Symbola *Moralia*, uti passim & promiscuè ad quidlibet ornandum, atque similitudinariè innuendum adhiberi solent, ita & sine lege ac ordine ex cujuslibet ferè libitu finguntur, ac proinde, velut operæ tumultuariæ, præcipitisque ingenij proles immaturæ, à censu perfectorum Symbolorum per Senatum Eruditum excluduntur. Cùm tamen & ipsa Imaginem habeant ac Lemma, differunt ab *Hieroglyphicis*, quæ sola imagine constant, item ab *Ænigmatibus*, quæ solis verbis componuntur. *Emblematis* nomen quandoque & *Symbolis* tribuitur: revera tamen est Pictura amplior, integras historias, latásque exsplicationes admittens.

Pro *Corpore* porro *Symboli Heroici* sequentes potissimùm Leges indictæ sunt, à me vel triverbio hìc appositæ. I. Figuram depictam oportet esse decoram, non turpem. II. Facilem præterea cognitu, neque peregrinam, sive non nisi paucissimis notam. III. Planam insuper, non perplexam, & quæ ab alia simili internosci ægrè admodùm possit. IV. Non tamen propterea vulgarem nimis, quin potiùs selectiorem, ac nobilem. V. Sin gemina corpora, vel plura, ut creberrimè accidit, exprimenda fuerint, nullatenus tamen talia sint, quæ natura repugnante conjungi non decet, sive quæ saltem non solent uniri. VI. Unumquodque tandem Corpus, sive simplex, sive alteri conjunctum, situ, cúmque sustentaculo sibi congruo exhibeatur, nec aliquando hæreat in aere suspensum.

Pro Lemmate hi ferè sunt Canones. I. Determinet conceptum, indicandô certam corporis picti proprietatem naturalem: nequaquam tamen se solo, sensúque absoluto, sed semper una cum corpore loquatur,

quatur, ſubjectum ſuum è pictura ſupponens, & reticens. II. Nunquam proinde ſit perfecta ſententia. III. Sit verum, ac de re vera. IV. Non commune, eódemque ſenſu applicabile pluribus diverſi generis rebus. V. Breve ſit, & acutum, neque tamen obſcurum, amphibologicum, æquivocum, ſive hyperbolicum. VI. Argutiam amat, eleganterque deſumitur ab Authoritate, ſive conſtat verbis S. Scripturæ, Patrum, Doctorum, Oratorum, Poëtarum: modò tertium verbum rarò excedat. VII. Nunquam verò exſplicet Conceptum moralem ab Authore intentum: cujus aſſecutio & Applicatio eſt ſolius videntis.

Ecce! Leges *Heroici Symboli* obiter commemoratas: quas paradigmatis unici locò, ſervatas demonſtro in *Symbolo* prævio hujus Præfationis. Speculum ibi vides, è columna ſuſpenſum, cùm ſe ſolo librari in Aëre nequiret. Lemma ſic exaratur: DELECTAT, ET PRODEST. Imperfectus hic ſenſus ſubjectum ſuum, i. e. vocem *Speculum*, ſupponit ex ipſa pictura, imaginem Speculi referente. Prædicata ambo *Delectat*, & *prodeſt*, non niſi naturales proprietates ſpeculi deſignant, quæ ſunt, quòd intuenti redhibitione formæ ſuæ jucunditatem afferat, ſimúlque verò utilitatem: quia, ſi quid in vultu ejus maculoſum ſit & immundum, fideliter commonſtrat, ut abſtergi, vel elui poſſit. Conceptum porro ulteriùs intentum inſinuat quidem, ac determinat, neque tamen exſplicat, vel applicat, videnti illum reliquens. Qui dum conſpicit, hoc Symbolum præire Diſſertationi de Symbolorum natura, non difficulter intelligere poterit, hìc denotari, habere ſe Symbola ad Speculi modum, delectare ingenio, quo concepta ſunt, & arte penicilli, prodeſſe autem ſenſu, atque doctrina latente, quam præbitura ſunt, ſi acuta reflexione evolvantur. Sin verò ulteriùs meditando progredi libeat, inſuper occurret, Symbola univerſa hujus opuſculi, tanquam Speculum quoddam lucidum univerſæ Perfectionis regularis, ſuſpenſum, ſive fundatum, atque innixum SS.mo. Legislatori BENEDICTO, ejúsque ingenti Spiritui, tanquam Columnæ ſolidiſſimæ, varietate ſua intuentibus delicias parere, Exegeſibus verò additis perutilia regularis & ſanctæ obſervantiæ documenta ſuggerere, vel denua in memoriam revocare. Semper etenim, quisquis Conceptum intentum dexterè aſſequi cupit, prænoſſe debet, & ritè attendere, qua occaſione, quam ad Perſonam honorandam, quale ad Factum illuſtrandum, vel cui Dogmati, Doctrinæque ſuggerendæ Symbola hæc vel illa adinventa ſint. Et hactenus quidem de Symbolis.

Quoniam interim, uti ſola fortitudo, vel potiùs robur corporis, ad laudem meritumque Virtutis nunquam aſſurgit, ita & Animi heroici quantumvis imperterrita & invicta magnitudo, quamdiu tamen intra ſolius Honeſtatis naturalis limites continetur, ad apicem Fortitudinis, motivis ſupernaturalibus innixæ, nullo modo pertingit: *Heroici* certè *Symboli* excellentia aptiſſimè illorum Animorum magnitudini, velut in imagine pingendæ, adhibetur, qui ex virtutis ſolidæ, Legisque Divinæ præſcripto, ſeipſos propter DEI ſolius obſequium, lucta per omnem vitam difficillimâ, heroicè vincunt, & ſuperant. Atque horum in numero nulli rectiùs cenſendi ſunt, quàm Viri verè Religioſi, Sacræque Benedictinæ Regulæ, in quam jurârunt, exacti


exacti atque fideles Cultores: qui pro omni ſe vita ſua ſibi ipſis abnegantes, DEO ſe veluti perpetuas, gratiſſimásque Obedientiæ victimas, omni die piiſſimè ſacrant, & immolant.

Inde eſt, quòd animus mihi venerit, cùm ſpiritum recolligere, Sacræque in me Regulæ amorem & obſervantiam igne novo inflammare contenderem, *Quinquaginta* hæc *Symbola Heroica* ſuper præcipua illius Capita ac Dogmata, pro Gratia mihi deſuper data, concipiendi, pingendi, & brevibus Exegeſibus metrico-proſaicis Aſceticis mihi præprimis ad fructum applicandi. Quæ cùm ſapientiſſimo eorum, qui mihi præſunt, judicio viſa ſint aliis pariter poſſe prodeſſe, & utile dulci non incommodè miſcere, piæque, quam Symbola excitant, curioſitatis melle ſubjunctarum Conſiderationum Aſceticarum jacula quodammodo delinire, ut blandiùs feriant: cum Gratioſa eorum Facultate in publicum emiſſa, ſunt.

Meum porro votum eſt, ut hæc Symbola Viros multos Religioſos, ſub SS. Legislatoris BENEDICTI, *omnium Juſtorum Spiritu pleni*, Regula, *Diſcretione præcipua*, militantes offendant, quorum vera & viva Imago ex merito eſſe cenſeri poſſint: aliis verò, uti mihi, ad reformandam in ſe veri Spiritus Benedictini Imaginem, qualemcunque operam commodam, auſpice DEO, Boni omnis ſolo Authore, valeant præſtare. Quem in finem de genibus humillimè ſupplico eidem Omnipotenti DEO cum universa Eccleſia regulari Benedictino-Ciſtercienſi, ut excitet in nobis Spiritum, cui beatus BENEDICTUS Abbas ſervivit, detque nobis, eodem Spiritu repletis, amare, quod ille amavit, & opere exercere, quod docuit, Amen. Scribebam Campililij ipſo feſto SS. Patris die 21. Martij Anno MDCCXLI.




FA-



FACULTAS
REVERENDISSIMI
DOMINI
VICARII GENERALIS.


Os CHRYSOSTOMUS Sacri & Exemti Ordinis Cisterciensis Ducalis Monasterij Vallis B. M. V. de Campoliliorum Abbas, ejusdémque Ordinis per Utrámque Austriam, Stiriam, & Regnum Hungariæ Vicarius & Visitator Generalis, tenore præsentium concedimus, ut *Quinquagena Symbolica in præcipua Capita & Dogmata S. Regulæ SS. Monachorum Patris & Legislatoris BENEDICTI, cum brevibus Exegesibus Asceticis*, à Rev. ac Relig. Patre Chrysostomo Hanthaler, Monasterij nostri Professo, & Bibliothecario, nec non Vicariatus nostri Secretario composita, quæ ex sententia Theologorum nostrorum ad Disciplinam Regularem stabiliendam, atque ampliùs provehendam plurimùm conducere videtur, (si & iis, quorum interest, ita visum fuerit) in lucem prodeat, publico profutura. In quorum fidem eidem has Literas, manu nostra subscriptas, & Sigillo munitas dedimus. Campililij die 16. Junij Anno 1741.



CHRYSOSTOMUS Abbas
ibidem, & Vicar. Generalis m. p.



TA-



TABULA
Materiarum hujus Opuſculi Symbolici.



SYM-

SYMBOLUM I.
Auditus Cordis.

TEXTUS. Auſculta, ô Fili, præcepta Magiſtri, & inclina AUREM CORDIS tui, & admonitionem pij Patris libenter excipe, & efficaciter comple. *Init. Prolog.*

I.



EXEGESES.

M*Iſſos ore ſonos equidem prima* excipit Auris:
Illico ſed Menti *promta miniſtra* refert.
Vellicat ergo tibi Cordis, *non* Corporis Aurem
Legis dando ſuæ tam pia juſſa Pater.
Audi Corde *libens*, *auditáque perfice factîs:*
Nam non ſunt Auris, *ſunt bona* Cordis *opus.*

NEmo ſine aure corporis naſcitur homo. Sed ſi quilibet auditor verbi eſſet & factor, ſcandala nulla Regnum DEI turbarent. Quoties Veritas per Prophetas ſuos, per ſe, per Apoſtolos clamavit: *Qui habet aures audiendi, audiat?* Diſertè ſuos admonuit Vates Regius, neque minùs cum illo nos Pater ſanctus obteſtatur: *Hodie, ſi*

 vocem

vocem ejus audieritis, nolite obturare corda vestra. Infelicissimi illi, de quibus Dominus antea per Prophetam *Isaiam Cap. VI. v. 9.* postea per seipsum *Math. XIII. v. 15.* querebatur: *Incrassatum est cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, - - - ne quando convertantur, & sanem eos.* Tantum interest inter *aurem cordis & corporis.* Atque propterea in rutilo cœlo unius Gremij Religiosi stella adeo differt à stella in claritate. Omnium aures ferit equidem quotidie sacræ Regulæ sonus idem: at verò non omnium corda idem affectus veritatis, per verba sonantis, inflammat. Quærit interim DEUS in multitudine populi sui operarium suum, adeò cupidus cordis nostri sibi obaudientis, ut, antequam eum invocemus, dicere velit, *adsum.* Adaperiat itaque ille cor nostrum non minùs, quàm aurem, in Lege Patris nostri sancti, immo & sua, atque in præceptis suis, & faciat pacem. Juravimus in Legem: ne, obsecro, obturemus ei corda nostra. Exitiabile nobis, si coëgerimus Dominum, ut & ipse juret in ira sua, si introëamus in requiem suam.



SYM-

SYMBOLUM II.
Arma Obedientiæ.

TEXTUS. Ad te ergo nunc meus Sermo dirigitur, quisquis abrenuncians propriis voluntatibus, Domino CHRISTO Vero Regi militaturus, OBEDIENTIÆ fortissima atque præclara ARMA assumis. *Prolog.*

2.



EXEGESES.

AMbitio innumeris gerit exitiabile bellum
Ensibus, ac telis, funera mille struit.
Flamma furit, bombarda tonat, crepitántque sarissæ:
Urbes, tecta, viri, mœnia, castra ruunt.
Suave Jugum Domini *sed* fortius omnibus unum *est*:
Quippe stygem subigit, diripit atque Polum.

SI, teste Sapiente *Proverb. XXI. v. 28. Vir obediens loquetur Victoriam*, Obedientia certè Arma subministrat: quæ tantò fortiora esse oportet, quantò sunt illustriores Victoriæ, hac armatura paratæ. Militas per eandem non homini Regi, sed Regi Regum DEO, Domino Exercituum. Non vincis regiones & populos; sed de teipso, de natura, de passio-

paſſione, de voluntate tua triumphas. Quo de genere Victoriæ dudum jam decantatum habemus: *Fortior eſt, qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit Mœnia.* Spolia refers plusquam opima, Virtutes, ac Merita. Tropheum erigis non de exuviis, de armis, de prædis obtruncatorum hoſtium: ſed de vitiis extirpatis, de diabolo victo, de morte contrita. Prædam occupas, non Urbes & Regna, ſed Regnum Cœlorum. Macte igitur animo, Religioſe Miles! videſis, quàm verè Sanctus Legislator tuus dixerit, te *Obedientiæ fortiſſima atque præclara arma aſſumere.* Parem armis animum ſume, digna utrisque tecum prelia conſere, inceſſabiles de concupiſcentia, de ſuperbia, de voluntate tua, Legi & Regi tuo DEO identidem refractaria, Victorias loquere. Aude pro cœlo: Vir eſto, de adjutorio Altiſſimi confiſus: certa pro anima tua, ne alius accipiat coronam tuam. Hoc pacto omni Mundo meliore, immo cœlo univerſo ſpectante, teſtante, mirante, ſine ſanguine Heros eris, Victor, & Triumphator immortalis.




SYM-

SYMBOLUM III.

Feſtina Converſio.

TEXTUS. Et ſi fugientes gehennæ pœnas, ad vitam perpetuam volumus pervenire, dum adhuc vacat, & in hoc corpore ſumus, & hæc omnia per hanc Lucis USURAM vacat implere, currendum, & agendum eſt modò quod in perpetuum nobis expediat. *Prolog.*

3.



EXEGESES.

QUid ſine Luce vides? quid perficis? omnia ſqualent,
Nilque oculis, manibus, nocte nigrante, potes.
Lucem *igitur poſcis: ſed* Lux *conſumitur uſu,*
Nique inſtes operi, nox inopina redit.
Par vitæ curſus ſemper labentis. Agenda
Sunt bona noſtra citò, ſunt removenda mala.

OMnis in emendatione vitiorum, & profectu virtutum nociva eſt mora: quia neſcit tarda molimina Spiritus Sancti Gratia. Tempus viæ tempus breve: certè in ſingula momenta incertum. Ni diſſimulare, quod verum eſt, tuam

tuam in perniciem callidè velis apud teipſum, plurium juvenum quàm ſenum tu ipſe funera noſti. Idcirco Dominus dudum per Eccleſiaſten *Cap. IX. v. 10.* admoneri omnes voluit: *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Adverte ſis, obſecro: *quo tu properas*, ait, nimirum in terram, in pulverem, in mortem. Non dicit, quò & tu aliquando, ſuo tempore, ac tandem devenies. *Properas*, inquit. Nempe non niſi *uno gradu*, uno momento, *Mors & ego dividimur.* I. Reg. XX. v. 3. Poſt Sapientem porro ipſa in carne Sapientia apud *Joannem* cap. XII. v. 35. hortabatur: *Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Periculum itaque in hac mora emendandi ſummum eſt: tardare profectum fatuitas atque dementia maxima. Liberæ manus nunquid expeditæ? compedibûs vinctæ quid valent? Florente ætate, valente corpore, integris viribus nugaris in Mundo. Senio frigidus, corpore fractus, ſenſibus hebes, doloribus obſeſſus, morboque fatali jam tibi ereptus, brachia demum pro cœlo, quod ſanè vim patitur, rapiendo expedies? Vel capite ſolo acutiùs dolens jam langues ad omnia: & ubi fatali in lectulo propinguæ mortis anguſtiæ toto agmine in te undique irruent, ad opera pietatis, ad omnia totius vitæ lucra neglecta uno cumulo compenſanda vegetum te præſumes? Non inſuper apud Divum Auguſtinum legiſti: *Pœnitentia ſera raró vera?* Deſerere peccata, non deſeri ab illis, delicti gratiam obtinet. Vitæ itaque tuæ luce *ardenti utere.* Ni ſapueris in tempore, pallentem te jam, & frigidum in terra, ipſum lumen, funeri tuo accenſum, vivo emblemate condemnabit.



SYM-

SYMBOLUM IV.

Facilis benè agendi habitus.


TEXTUS. Conſtituenda eſt ergo à nobis Dominici Schola ſervitii: in qua inſtitutione nihil aſperum, nihílque grave nos conſtituturos ſperamus. Sed & ſi quid paululum reſtrictius, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, & conſervationem charitatis proceſſerit, non illico perterritus, refugias viam ſalutis, quæ non eſt niſi anguſto initio accipienda. Proceſſu verò converſationis, & fidei, dilatato corde INENARRABILI DULCEDINE curritur via mandatorum DEI. *Prolog. ſub finem.*

4.



EXEGESES.

SUnt Alæ *pondus, volucrum corpuſcula plumis*
Ordine diſpoſitis quod graviora facit.
Attamen his uſæ facilè in ſublime feruntur,
Perceleriqne via celſa per aſtra volant.
Sic vitæ præcepta ſacræ *primùm* aſpera, *fiunt*
Uſu læta *brevi, te, velut* Ala, *levant.*


Sperum nomen virtutis, labor diſciplinæ terribilis, grave Domini jugum videtur inexpertis. Sed, amabò, guſta, & vide, quàm ſuavis ſit Dominus. Cœlum

petis? Brutum exue, & hominem indue, qui ſolus ad cœlum creatus. Quid æquiùs? Sarcinam pone vitiorum, egredere cœno peccati: illuc enim nihil introibit coinquinatum. Nunquid neceſſe tibi purgari? Mundum amare deſine, & transfer amorem tuum in DEUM; ac propter hunc etiam proximum dilige: ſolius quippe DEI viſione æternùm beandus es. Nónne juſtum dignúmque ſit, inchoare in terra, quod in cœlo per omne ævum non finies? Sed arduum cauſaris, edomare beſtiales motus, conſueta tollere vitia, inolitum Mundi amorem deſerere. Ecce! modum & ordinem proficiendi in melius. Eo profice modo, quo antè defeceras. Conſuetudo conſuetudine vincitur: nihil tam difficile, quod uſus non facillimum reddat. Quidquid interim ſanctus Legislator tuus paululùm reſtrictiùs conſtituit, eidem Æquitas, Emendatio vitæ, & Charitas, ut ait, ita ſuaſerunt. Tibi, ut eadem ſtudiosè ſerves, neceſſitas perſuadeat. Media ſunt iſta ad ſalutem tuam in tuto ponendam: absque his certè votis tuis exigua fides conſtabit, aut nulla. Alæ ſunt ergo hæc præcepta, ad cœlum levantes. Túne unus absque mediis conſequi finem, absque Alis aſſequi cœlum ſomniabis?



SYM-

SYMBOLUM V.

Cœnobitarum genus fortiſſimum.

TEXTUS. Ad Cœnobitarum fortiſſimum genus diſponendum, adjuvante DEO, veniamus. *Cap. I. de Generib. Monachor.*

5.



EXEGESES.

N*Obilis ut* frœno Sonipes *tutiſſimus ibit*,
Liber *at in præceps*, *auſâque dira ruet:*
Sic patiens Rectoris homo *geret omnia rectè:*
Sæpius at, quisquis ſe regit ipſe, *cadet.*
Dux *equidem* Ratio, *facit hanc ſed paſſio* cœcam:
Unde oculis ſanum *præſtat habere* Ducem.

SOlem ajunt Oculum Mundi, per quem videlicet videt, quisquis videt: cùm tamen ipſe non videat. Plurimi hominum domum ſuam, familiam, Rempublicam integram, immo partem non minimam hujus Mundi gubernant: neque tamen ſibi ipſis & unis prudenter moderantur. Adeò voluntas affectibus pervertitur, ut rectiſſimè dixerit Sanctus:

Ceſſet Voluntas propria, & non erit infernus. O quàm multiplex eſt via, quæ videtur hominibus recta, & noviſſima ejus ducunt ad interitum! Verba ſunt Veritatis in carne: *Si cæcus cæco ducatum præſtat, nónne ambo in foveam cadunt?* Quàm beata Monachi, in Clauſtro ſub Regula & Abbate militantis, conditio! Cui, ſi verè Monachus fuerit, neque velle eſt, neque nolle, adeóque nec errare, nec labi: ſed univerſa vita ſua regi, & obſequi. Nemo tam lætus, nemo tam liber curarum: tutior nemo, & nemo felicior. In Ducem ſuum univerſa recidit moles videndi, quò ducat, &, cur ita duxerit, arbitro DEO tuendi. O frœnum Religionis, auro contrà ſapientibus charum! Hoc qui oderit, & oderit in Clauſtro, minùs puero ſapit.



SYM-

SYMBOLUM VI.

Prodeſſe debet, quisquis præeſt.

TEXTUS. Abbas, qui præeſſe dignus eſt Monaſterio, ſemper meminiſſe debet, quod dicitur, & NOMEN MAJORIS FACTIS IMPLERE. *Cap. II. Qualis debeat eſſe Abbas.*

6.



EXEGESES.

VErba docent, Exempla trahunt: factibile facto
Illico ſuadebis: geſta gerenda probant.
Sic Aquilæ *juvenes natos præeundô tenere*
Alta poli, Solis lumina ferre docent.
Tiro beate, cui benè prælegit ore Magiſter,
Cujus & ex Actis optima quæque legis.

PRima ac præcipua univerſi Generis humani Schola, contemplari alterutrum, ſéque mutuò imitari. Sic populi diſcunt incedere, loqui, & univerſum colere corpus: quin & non abſimili modo imbuunt animos. Amant námque, & odiunt, quærunt, & fugiunt, appetunt, & reſpuunt non tam, quod à Majoribus accipiunt amplectendum, vel

vel deteſtandum, quàm quod vident, ipſis vel in deliciis eſſe, vel contra execratione proſcindi. Vis mirifica Exemplo, ut veluti cogat ad ſequelam. Unde & Magiſter ipſe Divinus non tam ſalutis, quàm doctrinæ cauſâ tanto tempore cum hominibus converſatus, cæpit facere, & docere. Præcipuè quos alto fortuna vel Gratia loco impoſuêre, ad ſe oculos auréſque trahunt. Non ſecus, quàm Sol calore, ita Princeps quilibet & Rector exemplo bono omnia animat. Sunt námque ſemper in ſubditis, quorum hebes & frigidus ſenſus ad verba ſalutis haurienda non valet. Sed qui deſcriptos in corpore, omníque vita Præſulis benè vivendi Canones legere quàm expeditiſſimè nequeat, vidimus neminem. Quid quòd etiam nulla lex unquam ſine vulnere lata eſt? unde & lædit, gignitque timorem. Contrà verò exemplum Principis nunquam eſt ſine Antidoto leniſſimo, revocat fugientem jam ſpiritum Virtutis, cujus parit amorem. Facili plerúmque ac felici opera ſuccedit Imago Virtutis, ſi in vivum quoddam & animatum prototypon hiſce oculis intueri poſſit, qui eam in ſemetipſo depingit. Nihil itaque Glorioſius egerit Præſul, quàm ſi Aquilam ſe præbuerit, propriæque Virtutis volatu ad Solem Juſtitiæ pullos ſuos provocaverit. Erit Integritas ſua filiorum omnium ſalus, & tanquam à capite ſanitas in membra deſcendet, velut unguentum à capite Aaron in oram veſtimenti.




SYM-

SYMBOLUM VII.

Æqualis omnium amor, & diſciplina.

TEXTUS. Non ab eo perſona diſcernatur in Monaſterio: Non unus plus ametur, quàm alius, niſi quem in bonis actibus, aut in obedientia invenerit meliorem. - - - ÆQUALIS fiat ab eo omnibus CHARITAS: UNA præbeatur omnibus ſecundùm merita DISCIPLINA. *Eod. Cap. II.*

7.



EXEGESES.

L*Umine conſimili* Sol *aureus adſpicit omnes*,
Et nulli rutilum denegat ille jubar.
Sic pariter Præſul bonus eſt Pater omnibus idem,
Et natos *omnes cenſet* amore pari.
Quid cultus diſpar niſi murmura livida gignit?
Par decet affectus conditione pares.

NIhil in aula, nihil in clauſtro periculoſius primis amoribus. Quem enim illi non efferunt, non extollunt, non inſoleſcere faciunt? Quem non tandem cæteris omnibus reddunt inviſum? Indecorum eſt Rectori, ſubditum

ditum facere ſui cordis Dominum, & nemini favere, neminem audire, qui ſatrapæ non placet. Scinditur hoc pacto Reſpublica quælibet. Sunt enim, qui hujuſmodi dilectum Domini, cùm apud hunc omnia poſſit, omni clientelæ abjectiſſimæ genere demerentur, ut Domini emant favores. Sunt è converſo, qui hujuſmodi hominem, uno tantùm Regni ſolio minorem, vatiniano plusquam odio execrantur. Regnum ita in ſe diviſum nonnè deſolabitur? Animæ præterea multorum nónne in hoc turbine inteſtino graviter periclitantur? Solem potiùs agat, quiscunque regit: æqualiter omnes aſpiciat. Sic dies, ſic noctes & ſibi, & ſuis fluent tranquillæ. Nemini præterea, non optimo cuique, non peſſimo, diſciplinam, curámque remittat. Non optimo: ne fiduciâ exiſtimationis de ſe conceptæ clanculò malus evadat. Non peſſimo: ne deſperans de cura ſui & affectu, etiam bonus fieri deſperet. Æqualiter omnes, uti DEUS, gubernet pariter DEI Vicarius.




SYM-

SYMBOLUM VIII.

Multorum ſerviendum eſt moribus.

TEXTUS. Sciat Abbas, quàm difficilem & arduam rem ſuſcepit, regere animas, & MULTORUM SERVIRE MORIBUS. *Eod. Cap. II.*

8.



EXEGESES.

IMparibus firmata ſeris tu plura recludes
Oſtia, ſi Clavis *ſit* Geminata *tibi.*
Principio major, minor aſt in fine, valebit
Ad portas magnas, exiguáſque ſimul.
Sic pariter Præſul, multorum moribus aptus,
Sit facilis facili, difficilique gravis.

ARs artium regere animas. Quot vultus in corporibus diverſi, tot genij animorum diſcreti. Et in his omnibus Arbitrij libertas flectit mentem, quò cupit. Unde nec ullum eſt ſceptrum, quod animæ dominetur. Docere expedit, ſuadere licet: ſed ſolus in cœlo ſedet, qui corda movet. Rectorem te conſtituerunt? quid ages?

ages? Patris Sancti consilium est, alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium suasionibus aggredi. Item indisciplinatos arguere & inquietos: obedientes autem, & mites, & patientes, ut in melius proficiant, obsecrare: negligentes autem & contemnentes increpare, & castigare. Miscere temporibus tempora, terroribus blandimenta, nunc dirum Magistri, nunc pium Patris affectum ostendere. Sanctè, & sapienter. Sed artem hanc maximam, ejusque usum tam promtum quàm condignum, solo DEO Magistro didiceris. Absit, ut pede tuo omnes metiaris. Non omnes suavitate Patris proficiunt: non omnes Dominum severum patiuntur. Non omnes umbra virgæ gubernat: non omnes ipsa virga emendat. Repetere itaque clavem cordium ab illo superest, qui finxit singillatim corda nostra.




SYMBOLUM IX.

Animæ ante omnia curandæ.

TEXTUS. Ante omnia ne diſſimulans aut parvipendens SALUTEM ANIMARUM ſibi commiſſarum, non plus gerat ſolicitudinem de rebus tranſitoriis, terrenis, atque caducis: ſed ſemper cogitet, quia ANIMAS ſuſcepit regendas, de quibus & RATIONEM REDDITURUS eſt. *Eod. Cap. II.*

9.



EXEGESES.

EST Honor omnis Onus: ſpinarum eſt Infula ſertum:
Paſtoris tergum propria virga ferit.
Cùm vice ſitque DEI, tam ſummi Muneris omne
Explorat ſtudium lance ſagace DEUS.
Crediderat, rurſúmque Animas *à Præſule poſcit,*
Exigit & pretium Sanguinis ille ſui.

TErribile verbum: *Judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* Sap. VI. v. 6. Quid porrò æquiùs tandem repoſcet Filius DEI, cui Pater omne judicium dedit, nisi

nisi Animas, quas emerat Sanguine suo? Tanti non valent, sive Æs alienum, quod Præsules dissolverunt, Bona, quæ coëmerunt, Cellaria, quæ impleverunt, Opes, quas cumulârunt, Ecclesiæ, quas decorârunt, Ædes, quas construxerunt: sive Munera magnifica, quibus erant spectabiles, Fama celebris, qua incliti fuêre, & si quæ alia sint in ore & oculis hominum magna, suique Regiminis Fastos Seculares ornantia: Tanti, inquam, hæc omnia non valent, ut Animas, inter hæc forsitan negligentiùs segniúsque, ac par erat, curatas, in Statera Divini Judicis compensent. Illa Animas ponderat. Si *pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet, dabit homo pro Anima sua.* Job. II. v. 4. Multò magis apud DEUM *omnis ponderatio non erit digna*, uti *continentis*, sic & pereuntis *Animæ.* Eccli. XXVI. v. 20. Vigilare itaque semper, & dormire, nonnisi pro Animabus, Præsulem convenit: uti & eum, cum quo ille curam Animarum partitur. Prælatus ab ipso fuisti Fratribus? missus Doctor parvulorum ad cathedram? Magister constitutus tironibus? Judex Animarum ordinatus in tribunali Pœnitentiæ? Pastor ovium ruri deputatus? Animas, obsecro, ante omnia noli negligere commissas. Nam & tua pariter Statera, in qua te DEUS appendet, Animas unatecum ponderabit. Cave solicitus, ne inveniaris minus habens. Mundum si dederis, non exolves, quod debebis.



SYM-

SYMBOLUM X.

Inobedientium ovium pœna.

TEXTUS. INOBEDIENTIBUS Curæ ſuæ OVIBUS POENA ſit eis prævalens ipſa MORS. *Eod. Cap. II.*

IO.



EXEGESES.

PAbula, Vox, Baculus gnavi Paſtoris Ovile
Si foveant, facilis nulla peribit Ovis.
Sed quæ difficilis bona paſcua ſpernit, & aurem
Occludit, virga nolueritque regi,
Innocuo multùm quamvis Paſtore gemente,
Præda ſit ecce! lupi, cùm velit ipſa necem.

HOc demum eſt ſapere! pulſare Clauſtrum ſalutis ergò, & ibi volentem perire! Liberum in Clauſtro vivere vetat vel ipſum nomen. Claudi in eodem, ligari, duci, regíque non velle, Chymera eſt. Nunquid ex Apoſtolo audivimus dudum: *Obedite Præpoſitis veſtris. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro Animabus veſtris reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes.* Hoc

 enim

enim non expedit vobis. Hebr. XIII. v. 17. Quàm infandus Paſtori dolor, pervigilanti, pro ſuis, ſi lamentari Domino cum Propheta cogatur: *Juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo: Veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi.* Pſal. XXXIX. v. 11. *Ipſi autem contemnentes ſpreverunt me.* Iſa. I. v. 2. Quomodo audet aliquis noſtrûm, contra ſtimulum vocantis DEI, impellentis conſcientiæ, compellentis Legis, contriſtare Præpoſitos ſuos? Correlativa ſunt Pater & Filius, Abbas & Monachus, Præpoſitus & ſubditus, is demum, qui reddet rationem, & illi, pro quibus redditurus eſt. Nónne igitur, uti Paſtoris vigiliæ omnes & ſomnus eſſe debent, Oves ſuas in tuto collocare: ita viciſſim Ovium omnium una ſit cura, Paſtorem audire? Quid poterit aliquando contemtus in Paſtore DEUS, cujus voces non ignoras: *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me,* Luc. X. v. 16. Quid, inquam, poterit contemtus in Paſtore DEUS, quid aliud habebit tuâ certè culpâ, niſi ut rideat in interitu tuo? Revertere Sulamitis, revertere!



SYM-

SYMBOLUM XI.

Mortis quotidiana meditatio.

TEXTUS. XLVI.tò. MORTEM quotidie ante oculos SUSPECTAM habere. *Cap. IV. de Instrument. Bonor. Oper.*

II.



EXEGESES.

Vivis homo, & totum latè circumspicis Orbem,
In quo sunt votis cuncta minora tuis.
Quidquid habes, majora cupis: geris æmula bella.
Mox tamen, ut moreris, tota cupido jacet.
Mors tibi cæca oculos, dum claudit lumina, sanat:
Toto *etenim in* Mundo *tunc* Nihil *esse* vides.

SChola Mortis verissima omnium, & optima. Huic Magistræ eorum omnium, quæ docet, nemo hominum aliquid negat: ex quo omnes morimur, & sicut aqua dilabimur. Legislator noster beatus Bonorum operum Instrumenta, quorum Officinam Claustra esse pronunciat, præter Mortis jugem Suspicionem, septuaginta adhuc alia

 ponit.

ponit. Auſim verò dicere, absque Morte foret, nemo bonus eſſe vellet. Calvariæ ſyllogismi verè expoſitorij, argumenta ad hominem. Nullus argumentandi locus, modúsque evidentiùs concludit, quàm cryptæ mortuales. Quia tamen hæ nemini effugium ullum permittunt, fugiuntur ipſæ à plerisque: donec Mors repentina ſuperveniens, telo crudeli non urgeat, ſed conficiat argumentum. Sic fatui filij hominum! Ad omnia valet Philoſophia Mortis. Summa quippe ſalutis humanæ, contemnere Mundum, concupiſcere Cœlum. Sed pro Mundo apud morituros quanta bella! quanti æſtus! quantæ contentiones! odia quanta; Hi pro voluptatibus, illi pro opibus, iſti pro honoribus, plurimi pro meris opinionibus DEUM ac hominem, Regem ac Legem contemnunt, fortunam, vitam, ac famam prodigunt, Charitatem deſerunt, odio tabeſcunt, quin & hominem exuunt, fitque homo homini lupus. Stulte! hac nocte repetent animam tuam à te: & pro quibus tam flagitiosè contendiſti, quid mortui intererunt? Finem acciperet quæcunque tua contentio, quamprimùm animo ſerio cogitares: modò ſi morerer, aut quandocunque fuero defunctus, hoc quid curarem? Album an nigrum, curvum an rectum, Petri an Pauli, nihil ad mortuum. Sic cogita, dum maximè ferves: & in ictu oculi totum ſopies incendium animi. Verbô, ut rectè omnia videas, quemadmodum calvaria, nihil in omnibus vide.



SYM-

SYMBOLUM XII.

Obedientia velox.

TEXTUS. Hæc convenit his, qui nihil ſibi CHRISTO charius aliquid exiſtimant, propter Servitium ſanctum, quod profeſſi ſunt, ſeu propter metum gehennæ, vel Gloriam Vitæ æternæ: ſed mox ut imperatum aliquid à Majore fuerit, AC SI DIVINITUS IMPERETUR, MORAM PATI neſciunt in faciendo. *Cap. V. de Obedient.*

12.



EXEGESES.

Quàm citò promta volat pharetra dimiſſa Sagitta,
Miſſuræ manui murmura nulla refert,
Sicque volans certò veniet, quò mittitur, ictu:
Sic pariter, ſanctè quisquis obedit, *agit.*
Non trepidat, tardat, queritur, non diſcutit unquam:
Sed promtè *ſequitur, conſequitúrque* DEUM.

Bedire omnes debemus, quia ſine DEO ac Domino eſſe non poſſumus, ex quo ipſe fecit nos, & non ipſi nos. *Omnis* igitur *Anima*, ait Apoſtolus, *Poteſtati-*

 bus

bus sublimioribus subdita sit, quarum quælibet *à DEO est*, & vice DEI, licèt ipsa sit homo, homini imperat, rursum alteri homini devota. Ecce! circulum infinitum immensi DEI: quo inaccessibilis omnibus, attamen singulis propè est: & qui videri à nemine potest, auditur nihilominus ab omnibus. Quam igitur debere te DEO libenter fateris Obedientiam, homini, per quem tibi imperat DEUS, quomodo tardas, quomodo trepidas exhibere? Vel tune sis ille, qui oggannire audeas Domino: *Non serviam?* Quin potiùs quærenti DEO: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* sagitta velocior, ore & animo responde: *Ecce! ego, mitte me.* Scis, Providentiam DEI in sui dispositione non falli: rectè ergò collimat, quocunque te miserit. Certus verò non impariter esto, neque te unquam fallendum, si tendas, quò DEUS dimiserit. Hic pro Centro gloriam suam habet: tu tuam salutem. Ille nunquam aberrare potest: tu quàm mox, & gravissimè, nisi DEO consentias. Nolis itaque, velis, obedire eidem debes tam promtè, quàm oppidò salvus esse cupis. Pari passu ambulant Salus, & Obedientia tua. Errorem sed forsitan hominis times, tibi moderantis? DEUS eum Capiti tuo imposuit, & regit in te dirigendo. In ipso quoties DEUM ex animo audis, vadem habes omnem Veritatem DEI, sanctè obediendo te nunquam à Centro salutis aberraturum.



SYM-

SYMBOLUM XIII.

Timor Domini.

TEXTUS. Primus Humilitatis Gradus eſt, ut TIMOREM DEI ſibi ſemper ante oculos ponens, oblivionem omnino fugiat. *Cap. VII. de duodecim Gradib. Humilitat.*

13.



EXEGESES.

SOl oculus Mundi, proſtantia ſingula luſtrans,
Abdita nulla videt, nec tenet aſtra diu.
Aſt Oculus Domini te ſemper & undique ſpectat
Intus & exterius, ſcit ſtudiúmque tuum.
Quid cogites, dicas, facias, videt Arbiter æquus:
Hunc Oculum Domini cura, humilisque time.

TImor te Domini niſi humiliet, pavefaciat animo, inque cogitatibus, dictis, factisque tuis quàm cautiſſimum reddat, ferè conclamatum eſt tecum. Non fruſtrà Sapiens: *Initium Sapientiæ Timor Domini.* Nunquam ſapere incipit, quisquis Oculum Domini negligit. Il-

lius, inquam, Domini, per quem es, ubicunque es: ſine quo neque tu, neque ullus eſt locus. Illius Domini, qui omnem paſſionem, affectum, deſiderium, & quemlibet motum Cordis tui ante te ipſum intelligit. Illius Domini, cui negare nihil, celare nihil, excuſare nihil, vel ſimulatione, dolo, mendacio palliare, uti apud hominem judicem potes. Illius Domini, qui non increpat modò, vel pœna brevi, levíque in te animadvertere valet: ſed qui Arbiter vitæ tuæ, ac mortis liberrimus, nullâ fugâ, nullâ latebrâ, nullâ aſtutiâ, nullâ potentiâ declinandus, poſtquam occiderit corpus, poteſtatem pariter habet, animam mittendi in gehennam, & ardoribus ſempiternis vindicandi. Hæc, ſi ſapis, & ſentis, viva fide expende: & verbo meo jam opus non habes. Hoc addo duntaxat: Time Oculum Domini, ſed & unicè ama. Hoc etenim teſte, uti nullo crimine intento, vel patrato in æternum abſolvêris: ita viciſſim ſcelere nullo damnaberis, quod innoxio tibi ſæpenumero imputat ſuſpicio, temeritas, malitia, detractio, deceptio hominum. Hoc pariter teſte ſalvum habebis omne bonum tuum: quidquid contrà te æmulantium, invidentium, cavillantium nequitia moliatur. Quàm abſonus, qui talem Oculum oderit, quo ſolo in omnibus adverſis unicè licet gaudere! Ambula, Chariſſime, ambula coram DEO, & eſto perfectus.



SYM-

SYMBOLUM XIV.

Abnegatio propriæ voluntatis.

TEXTUS. Secundus Humilitatis Gradus eſt, ſi PROPRIAM quis NON AMANS VOLUNTATEM, deſideria ſua non delectetur implere. *Eod. Cap. VII.*

14.



EXEGESES.

Ponderibus, multisque rotis hæc machina currit,
Tempora quæ ſignat, quæ ſtata puncta ſonat.
Sed Perpendiculum, *ceu primum Mobile, ſiſte,*
Alta rotis mox eſt ponderibúsque quies.
Eſt pondus *vitium, tua* Mobile *ſola Voluntas:*
Hanc, ne unquam pecces, ſiſtere *ferto DEUM.*

Dillatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum absque ullo termino. Iſa. V. v. 14. *Sicut oves in inferno poſiti ſunt.* Pſalm. XLVIII. v. 15. Quid, obſecro, eſt, quod Infernum tam horribiliter inflat? quod inſtar armentorum miſeros homines in ſulphuream hanc paludem

præcipitat? Verbô dicam: Propriæ Amor Voluntatis, detrectatio Divinæ. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Ezech. XVIII. v. 4. Sed nemo peccat, nisi propria voluntate. Flagitiosum nihil, nihil scelestum, culpam nihil omnino habet, tibi non volitum. *Proni sunt sensus hominis in malum ab adolescentia sua: Caro concupiscit adversus spiritum: Mundus totus in maligno positus est: Inimici hominis domestici ejus: Adversarius noster diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens, quem devoret.* Ecce pondera, ecce rotas horologij infernalis. Sed absit Perpendiculus; primum Mobile Voluntas tua timore DEI, ejusque præceptis sistatur: nunquam horologium istud incedet, nunquam curret, nunquam à te peccabitur. Trahere possunt hæc pondera, impellere possunt hæ rotæ, sed cogere nequeunt, cavente Domino, qui Fidelis est DEUS, & neminem tentari permittit supra id, quod potest. Velle itaque, ac nolle tuum fac velle & nolle DEI. Sic utrúmque sanctum reddes, nihilominus verò tuum. Si námque cum bono DEO consenseris gratiâ suâ, à te non repulsâ, Voluntas tua clavem cœli subibit. Neque enim DEUS, qui te liberum voluit, absque tua te Voluntate damnabit, neque salvabit. Merita tua vel pœna, vel prœmium exspectat. Vide, quantum tuâ intersit, propriam Voluntatem, ex se non nisi malè mobilem, labíque potentem, figere per Divinam, ut firma in bono consistat, atque ad Cœlum attollatur.



SYM-

SYMBOLUM XV.

Conditiones ſanctæ Obedientiæ.

TEXTUS. Tertius Humilitatis Gradus eſt, ut quis PRO DEI AMORE OMNI OBEDIENTIA SE SUBDAT MAJORI. *Eod. Cap. VII.*

15.




EXEGESES.

UNo duntaxat quia puncto Sphera moratur,
Mobilis ad nutum eſt, perfacilique gyro.
Vel digito cedens, ſubitos agitatur in orbes:
Cui ſimilis, quisquis juſſa paratus agit.
Sic age: ſit Punctum, *quo verteris, atque quieſcis,*
Solus, quem colis in Patre jubente, DEUS.

PRopriæ Voluntatis perniciem nihil feliciùs prævertit præ ſancta Clauſtri Obedientia, ſi ibidem DEO, non tibi obtemperes. Cautè vide, tu quid agas. DEUM, quem ipſum audire nequis, loquentem tibi habes in Superiore: & hunc ipſe ordinat, ipſe illuminat, atque ſanctè profeſſus, ſe in ipſo audiri, vel ſperni. Ergo ut DEO in Superiore

obedias, obaudire huic necesse est, quia DEI interpreti, quia DEI electo, quia DEI voluntate tibi prælato. Sin verò obtemperes Prælato, quia Seni, quia sapienti, quia pio, quia docto, quia affabili, quia mansueto, vel qualitercúnque præcellenti: edic, quem audis, nisi tuo judicio, tua exquisitione probatum? Sanè hic DEUS in causa obediendi non est. Pertinebit olim hoc pacto ad te illud Prophetæ: *Seminâstis multum, intulistis parùm.* Agis quod vanus ille, qui Crucifixi imaginem artis ac pretij causâ veneraretur, non quia Christi est. Vera Obedientia formam capit ex eo solummodo, si apud te DEUS in causa sit. Atque hac demum ratione fiet, ut verè pro DEI amore omni obedientia te subdas omni Majori. *Pro DEI amore:* non timore pœnæ, tædio correptionis, verecundia confusionis, cupiditate favoris, desiderio laudis, studio promotionis, & ne solo quidem ductu atque facilitate naturæ. *Omni obedientia:* nullo videlicet genere parendi, nullo tempore, nullo loco excluso, sive communia, sive privata, sive commoda sive incommoda Genio tuo, sive gravia, sive levia viribus tuis imperia fuerint. *Omni Majori:* nempe juveni, vel seni, magis docto vel minus, affabili vel moroso, facili vel difficili. *Ultrò* adhæc, *& libenter:* non blandimentis illectus, non deliberatione, discussione, propriique judicij tui approbatione prævia inductus, non minis compulsus, non simulatione vel dolo compositus, nullo murmure, nulla animi indignatione turbatus. Ecce! quot vulpeculæ parvulæ demolientes veræ Regularis Obedientiæ vineam. Cape illas solicitè, & mobilis esto ad nutum: uno DEO vertere, atque quiesce. Ni feceris, acerbam DEO pœnam dabis rebellione corporis tui, quod inobedienti tibi nunquam obediet.



STM.

SYMBOLUM XVI.

Obedientia inter dura.

TEXTUS. Quartus Humilitatis Gradus eſt, ſi in ipſa Obedientia duris & contrariis rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis injuriis TACITA CONSCIENTIA PATIENTIAM amplectatur. *Eod. Cap. VII.*

16.



EXEGESES.

Pulchrum eſt, ſed durum Marmor *ſcalpróque reſiſtit,*
Artificis laſans ſæpe labore manus.
Dedolet, & tundat, ſculpat, poliátque Magiſter,
Lumina ſi Paridis marmore comta cupit.
Icone Virtutis non eſt ſpecioſior ulla:
Sed quia tu Marmor, tundere *téque decet.*

CEra quàm facilè artifici cedit, tam difficillimè marmor. Fecit nobis natura cor carneum: at verò congenitus concupiſcentiæ fomes lethali calore ſuo ô quoties illud ſic urit, ita exſiccat, ut planè in lapidem indureſcat! Mundum itaque cor tuum, rectum, & ſanctum ut fiat, tunſionibus mul-

 tis

tis agendum eſt DEO, Superiori, Confratribus; præ omnibus verò tibi ipſi. Multa præcipit DEUS, quæ tibi non ſapiunt: plura inhibet, in quæ maximè propendes. Corpus tuum doloribus, animum tentationibus, luctis, certaminibus permittit. Gratias differt, guſtum devotionis ſæpiuſculè eripit: aridum eſſe te ſinit: ingenium tuum non æquè, ac velles, illuſtrat: operi tuo, ſæpiſſimè verò Votis, etiam quæ æquiſſima & ſanctiſſima putas, optatos ſucceſſus non tribuit. Explorat nempe fidem tuam, utrùm ad tempus ſolummodo credas, in tempore verò tentationis recedas? Experitur, an bona ac dona ſua magis fortè diligas, quàm ipſum? Cavet, ne bona obſervantia tua te reddat elatum. Coronam præterea tibi aptat, téque Coronæ: quia ſola Virtutum perſeverantia coronatur. Sanctiſſimè cuncta teroptimus DEUS, neſcienti, quid petas, infantulo tibi, cultellum nitentem, utcunque ut ejules, negandô, quo tibi noceres: nimiùm verò indiſcretum etiam virga compeſcens, infinito amoris teſtimonio. Ecce DEUM te ſaluberrimè tundentem. Idem porro DEI providentiâ etiam agit Superior tuus. Hominem quippe experiris, non Angelum, ſuper caput tuum impoſitum, vario quandoque affectu turbatum, ſiniſtris aliorum delationibus adverſus te commotum, neque tuæ etſi juſtæ defenſionis ſemper patientem. Studia tua frequenter contrariis ſtudiis interrumpit: ardua mandat, & moleſta: aliorum te odiis munere tibi injuncto exponit. Tundunt te pariter Confratres tui: quorum infirmitatibus, æmulationibus, dicteriis, judiciis, ſuſpicionibus, delationibus, uti malleis, & ſcalpris exerceris. Tundis tandem & ipſe te plurimùm, factus tibimetipſi gravis: ſentiens aliam legem in membris tuis, repugnantem legi mentis tuæ: non, quod velis, hoc agens, ſed, quod nolis, hoc faciens: motibus, paſſionibus, ſolicitudinibus infinitis correptus. Videſis, quantis tunſionibus opus ſit cordi tuo, non carneo, ſed lapideo, quia DEO non plenè conſentit, peccato autem adhucdum tam multum condelectatur. Suſtine pariter, & abſtine humiliter, ut in animo tuo Icon Virtutis omnibus numeris ſuis abſolvatur. Ne oderis tundentes, quibus debes fortunam æternam. O paſſus jam, & adhuc paſſurus graviora! Durato, & rebus temet ſervato ſecundis.

SYMBOLUM XVII.

Humilis confeſſio peccati.

TEXTUS. Quintus Humilitatis Gradus eſt, ſi omnes cogitationes malas, cordi ſuo advenientes, vel mala abſconsè à ſe commiſſa, per HUMILEM CONFESSIONEM Abbati non celaverit ſuo. *Eod. Cap. VII.*

17.




EXEGESES.

CEu, transparenti quæ clauſa eſt Vipera vitro,
Panditur, & tegitur: quo patet, inde latet.
Sic humilis quotquot Confeſſio menda revelat,
Tot ſimul & celat, non niſi nota Patri.
Sed ſatis eſt, ea nôſſe Patrem, qui promta veneno
Pharmaca ſuppeditat, ſic tribuente DEO.

O*Mnes peccaverunt, & egent Gloria DEI*, Romanis ajebat Apoſtolus Cap. III. v. 23. Multò autem diſertiùs omnibus nobis & malum noſtrum, & medicinam ſaluberrimam retexit Dilectus Domini Diſcipulus I. *Joann.* I. v. 8. & 9.

&9. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & Veritas in nobis non est. Sed si confiteamur peccata nostra, fidelis est* (videlicet DEUS) *& justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ecce! paludem, qua fœdamur: ecce! balneum, quo lavamur. Nunquid ipse Dominus se Patrem amantissimum professus est, qui recipit omnem filium prodigum, & pœnitentem primâ etiam stolâ dignatur? Celer accurrit, ut erigat lapsum: brachia extendit, ut amplectatur contritum: oscula expedit, ut amore liniat vulneratum: stolam primam procurat, ut verecundum convestiat: vitulum jubet saginatum parari, ut mærore tabescentem confortet. Et surgere tardas, atque ire ad Patrem tuum? Ah! ne horre, ne fuge, ne time Confessionis tribunal. Ibi Domus est Patris, quem dixi: ibi pedes ejus veloces: ibi brachia, ibi oscula ejus: ibi stola, ibi vitulus. Ast, inquis, homo ibi sedet, coram quo erubesco, de cujus affectu suspicor, cujus virgam & baculum vereor. O timor, ubi non est timor! Nihil benignius, sapientius nihil, quàm quòd hominem Judicem tibi dederit DEUS. Quem olim Filius DEI de diabolo & Angelis ejus statuit triumphum, etiamnum referri decrevit. *Arte artem fallebat*, hostémque nostrum non per seipsum, sed per hominem, quem assumit, aggressus est. Vult ergo & hodie, virtute Clavium homini concessa, te per hominem carcere dæmonis manumitti. Præterea quemadmodum ipse *factus est Pontifex noster, circumdatus infirmitate, ut sciret compati infirmitatibus nostris:* ita & tibi peccatori Judicem statuit hominem peccatorem, qui propriorum vulnerum rubore confusus, cum omni verecundia alligaret vulnera tua. Et confunderis apud eum pro anima tua dicere verum? Peccatorem te esse nôrunt omnes, quotquot te hominem nôrunt. Cur ergò te talem fateri tu nolis coram uno & solo? Anne ignoras, apud eum, DEO, Ecclesia, Lege, Charitate, Conscientia propria, quin & pœna fatali districtim prohibentibûs, omnia tua, quæ revelante te sciet, fore veluti omnia, quæ nescit? Soli diabolo patet, ea cognita esse Sacerdoti: sed & uni diabolo nocet.
Negotia etenim ejus, uti furis, in tenebris perambulant.
Prodidisse eundem, fugâsse est.



STM-

SYMBOLUM XVIII.

Paupertas corporis & ſpiritus.

TEXTUS. Sextus Humilitatis Gradus eſt, ſi OMNI VILITATE vel extremitate contentus ſit Monachus, & ad omnia, quæ ſibi injunguntur, VELUT OPERARIUM MALUM ET INDIGNUM ſe judicet. *Eod. Cap. VII.*

18.




EXEGESES.

PYramidis *velut altus apex, pede conſitus amplo,*
Hoc magè rareſcit, quò magè celſa petit.
Sic propriore via Cæli ad ſublimia ſurgit,
Qui vitæ cultu pauperiore *riget.*
Vilia *ſi* corpus *patitur* Mens grandia *nulla*
Si cogitet, rectâ pergis ad aſtra viâ.


ÆTerna qui cupit, terrena faſtidiat. Quo etenim pacto Montem tu celſum conſcendere ſimul, ab eóque deſcendere paſſibus iisdem confidas? Interim neque æterna, neque terrena ſine cura obtinentur: utriſque autem

ſedulò procurandis mens una non ſufficit. Opes, & honores ô quàm fallacia bona, quanto labore quæruntur? qua cura petunt ſervari? quo dolore perduntur? Hos inter labores, inter has curas, & his in doloribus ubi, amabò, cæleſtium meditatio, conſuetudo, & habitus locum reperiunt? Sine his verò æterna in æternum non capies. *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, vade ipſa veritate *Math. VI. v 21.* Nemo itaque ſapientum crediderit unquam, quidquid ore, vultúque, & habitu corporis tui exterius prætetuleris, ſi theſaurizes in terra, te amare cæleſtia: quæ homo excors non reperit. Quàm igitur æqua, quàm neceſſaria, quàm tuta eſt paupertas corporis ac ſpiritus! Si ſapis, Matrem tibi eam aſſume. Delectare in ea, dum ſentis, dum actu deficis rebus multis, quibûs egeres. Quære eam, quoties abundas, & ultro procura, ut eam ſentias. Vilia dilige, ut nobilem in te ſpiritum probes. Nemo nobilis, cui non Mundus univerſus vileſcit. Legiſti in Pſalmis: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* Mundus eſt, quem tibi ſubjecit DEUS. Locus ejus, ipſo ordinante, ſit ſub pedibus tuis. O quàm vilis, qui non niſi calcandus! Creaturas idem condidit pro te DEUS, iisque tibi ſcalam ad cœlum conſtruxit. Nunquam verò per eas ad cœlum conſcendes, niſi, quemadmodum gradus in ſcala, easdem ſancto contemtu quaſi pedibus contriveris. Cœlum Mons altus: ergò ſarcinas abjice. Porta ejus anguſta: ne fartus diſtentúsque ad illam accede. Lepida capita, qui faciunt ſecus. Meritò illa dæmones, homines, Angeli, & ipſe DEUS derident. Pyramis eſto, & indies rareſce pauperiore corporis cultu, ampliore ſpiritus in terrenorum deſideriis inopia. Sic tuæ coloſſum Gloriæ conſtrues: ita apicem obtinebis virtutis: hoc demùm pacto gracile caput tuum nubibus inferes.



STM-

SYMBOLUM XIX.

Humilitas linguæ, & animi.

TEXTUS. Septimus Humilitatis Gradus eſt, ſi OMNIBUS SE INFERIOREM & viliorem non ſolùm LINGUA SUA pronunciet, ſed etiam INTIMO CREDAT CORDIS AFFECTU. *Eod. Cap. VII.*

19.



EXEGESES.

Q*Uamlibet è numeris qui* Summam *condere novit,*
Effari neſcit, ſi mera nulla *notes.*
Omnia, quæ tua ſunt, homo, quid ſunt? omnia nulla:
Ex nihilo *ſiquidem factus es ipſe* nihil.
Et cur alga tumes, aut ſi quid vilius algâ?
Sunt bona nulla *tua: aſt* crimina ſola *tua.*

CAnone hominum, quod quis per alium facit, per ſe ipſum facere cenſetur. Quidcunque ergo demum facit homo, & valet, facit per eum DEUS, cujus Verbum Veritatis eſt: *Sine me nihil poteſtis facere.* Peccatum excipe, quod effectus non eſt, ſed defectus. Ediſſere jam magni

magni ſpiritus homo, qui digito amas monſtrari, & dicier: *Hic eſt:* quid magni aliquando per te fecit DEUS, quod non æquè per quemlibet fratrum tuorum facere vel potuiſſet, aut poſſet? Non porrò fecit, vel faciet, non quia tibi, ſed quia ſibi non libuit. In omnem ergo peccas philoſophiam, dum vel uni te præfers: quia parium pariformis eſt ratio. Nihil certè in omni facultate tua reperies, quod verè ſit tuum, niſi aptitudinem DEO ad opera ſua deſerviendi. Sed uti hanc ipſam in te contulit DEUS, ita hominum cuilibet ſive tribuit, ſive tribuere nullo negotio, nutu unico poterat. Quid igitur in affabilitate, amœnitate morum, ingenio, eloquentia, ſcientia, prudentia, vel Virtute tua quacunque, aut quantacunque demùm prorſus inſipidè complaces tibi? Tua hæc ſunt? *Quid eſt, quod non acceperis? Si verò accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Eſto, te lumina multa circumſtent: Cœlum imitare, innumeris Sideribus coruſcum. Conſidera illud in meridie: nónne in eo Stellæ ad unam ſe omnes ſplendente Sole occultant? Ita & tu operantem in te DEUM ſemper & undique magnificans, nihil ex omnibus, quæcunque aut effecit, vel efficit per te DEUS, tibi tribue. Noli deſipere, ut cum pavone in ſpeculis caudæ tuæ, jactanter & faſtuosè explicatæ, ſuperbias. Hæc ſit philoſophia tua, ſana omni ratione ſubnixa: *Nihil ſum ex genere meo, de nihilo gratìs à DEO factus: Nihilo interim nihil debetur.* Taliter ſi diſcurras, uti aliter ex vero non potes, tam promtum tibi erit, quàm æquum, ut omnibus te inferiorem & viliorem non ſolùm lingua tua, nequiter ſe forſitan humiliante, pronuncies, verùm etiam intimo credas cordis affectu. *Nulla mera* apud te invenies, ſi bona quæſieris: ſi mala perveſtigaveris, innumera illa, & ſola tua.



STM-

SYMBOLUM XX.

Vita Communis.

TEXTUS. Octavus Humilitatis Gradus eſt, ſi nihil agat Monachus, niſi quod COMMUNIS MONASTERIJ REGULA, vel Majorum cohortantur exempla. *Eod. Cap. VII.*

20.



EXEGESES.

ORgana *concentu reſonent ut ſuavia grato,*
Diſſimili *fallat fiſtula nulla* ſono.
Quisquis es in media Fratrum, vivisque Corona,
Undique te paribus *reddere diſce* parem.
Quod grave, quodque leve eſt, communi lege *ſtatutum*.
Concordi ſtudio *promtus ubique ſubi.*

IUcundum Charitas Organum, ubiubi Fratrum eſt Chorus. Dulcibus ejusdem modulis mirè lætantur DEUS, & homines. Artifex ejus Concordia Animorum, & morum. Mox porrò ut mores diverſi, fiunt & diſpares Animi. Humeris paribus onus quodlibet facilè fertur: imparibus tam

tam grave, quàm invisum evadit. Communis Legis justitia, dum æquissimè dividit, bellè omnia membra conjungit. Contrà verò voluntas & exquisitio propria fallaci statera dolosè partitur, perniciosissimè separat. Nunquam æmulatio, invidia, murmur, pestes charitatis, promtiùs in animos subeunt, quàm ubi unius legis sacramento devoti, unius observantiæ studio diffident. Grave vel modestissimis accidit, multos habere socios commodorum, disciplinæ & onerum paucos. Hanc stragem Charitatis inultam non sinet DEUS, qui charitas est. Deficere citiùs assolent, qui sibi ampliùs parcunt. Sedulos labor confortat, & desides otium frangit. Gemma nobilis, decus illustre, utilitas maxima Gremij Regularis Vita Communis ex instituto legis, pio majorum exemplo probata: ubi spherica omnia æqualiter uni Centro, sine angulo, sine singularitate respondent. Cavesis autem, Vitam Communem dixeris circulum illum vitiosum, quem discoli faciunt; ne Charitatem appelles consensum exerrantium animorum in dissolutione legum. Sola communio regulæ, in quam jurasti, te benè consonam fistulam probat Organi Regularis: cui si dissonantiâ tuâ nullum vitium feceris, eris & tu inter illos, qui modò jucundè in Via, multò verò jucundiùs olim in patria DEUM suum & laudant, sempérque laudabunt in tympano & Choro, in Chordis & Organo, in cymbalis benè sonantibus, in cymbalis jubilationis.



SYM-

SYMBOLUM XXI.

Taciturnitatis Studium.

TEXTUS. Nonus Humilitatis Gradus eſt, ſi Linguam ad loquendum prohibeat Monachus, & TACITURNITATEM habens, usque ad interrogationem non loquatur. *Eod. Cap. VII.*

21.



EXEGESES.

FIſtula *dulcè canens uti tantùm* inflata *ſonabit*,
Sed nullo flatu ſollicitata ſilet:
Sic mos eſt humilis. Tacet, usque ubi verba repoſcit:
Nam linguæ facilis crimina crebra pavet.
Non hæc eſt Virtus, non hæc cautela ſuperbi:
Solibus hic totis Garrulus anſer adeſt.

QUàm verè Sapiens dixerit, ipſo Spiritu Sancto edoctus: *In multiloquio non deerit peccatum:* vel ſoli ſuperbi, quibus nemo eloquentiâ anteit, ad oculum demonſtrant. Quidquid peccant, promtiſſimè excuſant. Si arguantur, diſertiſſimi in cauſa ſua Cicerones pro cul-

culpa ſua, ſemper cum verborum triumpho perorant. Si benè egiſſe ſe putent, illicò glocitant cum Gallinis, & ova ſua univerſis annunciant. In aliorum Res omnes indagant, quoniam ſe judices omnium conſtituunt. Quæſtione docta ſuborta extemplò Cathedram occupant, & ante omnes definiunt, ut Magiſtros intelligas. De Virtutibus incidit ſermo? extempore Panegyres fundunt, ut ex abundantia cordis os ſuum loqui credatur. Dum de vitiis diſſeritur, in ea tam vehementer, tam latiſſimè invehunt, quaſi toto corde ſuo omnia crimina exulent. Mox ut alij laudantur, frendent intra ſe, non patientes, ſibi quemquam præferri, & ironiis, ſarcasmis, omnique malè interpretandi, extenuandique genere abundant. Contemni ſi quempiam audiant, tum demum rota currit eorum, ſcenámque Phariſei adverſus Publicanum dexterrimè inſtruunt. In epulis, conventiculis, deambulationibus, ſales, & jocos, vexas & ſannas absque modo & ordine ſpargunt, tanquam ſemper in Domino gaudeant, ſítque mens ſua, criminis ſecura, quaſi juge convivium. Nihil tam providè diſponit Superior, in quo illi non meliùs ſapuiſſent. Nemo cæterorum officij ſui partes tam ritè exequitur, ut ei deſidiam, ſocordiámque non exprobrent. O fiſtulæ animatæ, moleſtiſſimè ſemper ſtrepentes, quia à ſeipſis inflatæ! Non ſic humilis frater, non ſic: qui usque ad interrogationem non loquitur. Sæpe quidem revera erratur à multis: neque humili judicium deeſt errorum. Aſt ipſe perpetuo ſibi dicit in corde ſuo: Quis te judicem Prælati tui, Superiorum tuorum, fratrum tuorum conſtituit? Chriſto, quo nihil ſibi charius eſt, obaudit, ſibique dictum exiſtimat, quod Petro, ineptè ſciſcitanti: *Hic autem quid?* illico repoſuit Dominus: *Quid ad te? tu me ſequere.* Ecce! fiſtulam dulcem atque gratioſiſſimam, quæ niſi ab alio inflata, non ſonat.



STM-

SYMBOLUM XXII.

Continentia risûs.

TEXTUS. Decimus Humilitatis Gradus eſt, ſi non ſit facilis ac promptus in riſu: quia ſcriptum eſt: Stultus in riſu exaltat Vocem ſuam. *Eod. Cap. VII.*

22.



EXEGESES.

Dum laqueos tendit, mortem jam præparat auceps,
Ecce! ignara mali ludicra cantat avis.
Mente caret volucris: *verùm ratione ſerenus*
Mortibus in tantis quomodo ridet homo?
Qui laqueos novit, qui retia penſitat, atque
Mille pericla timet, tempus in omne fleat.

Ilarem utique *datorem diligit DEUS*, teſte Propheta, atque *gaudere in Domino ſemper* nos omnes Apoſtolus juſſit. Riſus verò facilis & jugis, maximè excuſſus, non eſt Hilaritas dilecta DEO, neque Gaudium in Domino. Secùs Veritas ipſa non dixiſſet: *Væ vobis, qui ride-*

 tis,

tis, quia lugebitis. Stultum probat risus multus: qui neque viam, neque Gradum suum intelligit. Via tua præsens hæc Vita: quam in singula momenta ducis incertam, Gratiæ nunquam securam, tentationibus nunquam liberam, lapsibus undequaque expositam. Tu verò sic fatuus es, ut omnium horum incurius, cum avicula statim jugulanda cantilles, & rideas? Gradus tuus in claustro, flere tua, flere aliorum peccata, te Mundo, tibi Mundum crucifigere, mortificari tota die, æstimari sicut ovem occisionis. Et ridere tam promtè tibi vacat? Hæc omnia nisi insuper habeat superbia tua, & fatuitas tua undequaque deliret, tristabere potiùs secundùm DEUM, ut tristitia tua convertatur in gaudium: in solo DEO gaudebis, & congaudebis in eo gaudentibus. A Seculi porro tam risibus, quàm actibus, te semper præstabis alienum. Sed nolim, ais, tristitia exedat cor meum, vel verò humor melancholicus ante tempus depascat viscera mea. Rectè omnino vis: at verò planè perperam, ut audio, sentis. Nequaquam enim tristitia, quæ secundùm DEUM est, exedit cor, vel Gaudium in Domino lethaliter, uti tu putas, in viscera sævit. Finem utriusque, non verò principium specta. Omnis voluptas, quæ secundùm seculum est, blandè equidem intrat: sed in fine mordet ut coluber. Quantum te usus delectat, tantùm certissimè post usum te pœnitebit. Sape cum illo, qui dixit: *Tanti non emo pœnitere.* Exploratissima gnoma: *Voluptatem vicisse* voluptas est maxima. Hanc porro victoriam refert Tristitia, quæ secundùm DEUM est. Et cor tibi exedere videtur? Gaudium deinde in Domino quid est, nisi condelectari legi DEI, immaculatum se præstare ab hoc Sæculo, mundum servare ab omni iniquitate? Sic porro secura mens criminis revera quasi juge convivium. Utut se foris contineat hoc gaudium intra omnis modestiæ limites, intus tamen in corde se semper & undique jucundissimè diffundit per Spiritum sanctum. Et ab eo tuis visceribus metuis? Cura, obsecro, omníque studio procura, ut hunc tibi risum faciat Dominus. O quàm illico tibi stultus omnis Seculi risus desipiet!



STM.

SYMBOLUM XXIII.

Modeſtia Vocis.

TEXTUS. Undecimus Humilitatis Gradus eſt, ſi, cùm loquitur Monachus, leniter, & ſine riſu, humiliter, & cum gravitate, vel pauca verba, & rationabilia loquatur, & non ſit CLAMOSUS IN VOCE. *Eod. Cap. VII.*

23.



EXEGESES.

UT fluvius *curſu leni delabitur ingens*,
Rivulus *at* modicus *murmurat atque ſtrepit.*
Sic, *quotquot ſapiunt*, pauca & moderata loquuntur,
Mentis inops clamat, *verbáque ſolus habet.*
Pandit nempe ſuum per verba ſuperbia faſtum :
Diſcere *vult humilis*, *nónque* docere *cupit.*

FAcilè largior, *tempus eſſe loquendi*, *& tempus tacendi*, quod Sapiens ait. Sed quantò ſecurius eſt ſilere, quam loqui? Verba animi cordíſque noſtri apud ſapientem proditores certiſſimi, quantumcumque illa componere moliaris.

ris. Ut videare, ubi aliàs videri non potes, ſatis eſt, ſi loquaris. Quòd ſi non expedit, cæteros noſſe, quid animo verſes: & hoc ipſum ſit illud ſecretum, quod præter ſe ſoli tibi DEUS ſervavit: an ſapis, ſi garrulo clamore te ipſum divulges? Hoc ſi DEUS probaſſet, ut Aurem, ſic linguam tibi geminam contuliſſet. Sed neque hanc unicam, quam dedit, labiorum ac dentium veluti muro, & antemurali clauſiſſet. Tua ſententia DEUS & Natura nihil faciunt fruſtra. Crede, quia linguam tuam ideò ſepiunt ampliùs, ut à malo te tantò cautiùs retrahant. Noli eſſe ſtultus, ut ſis ſapiens tibimetipſi, contrà, quàm ſapit, & inſtruit DEUS. *Qui verbo non offendit, hic perfectus eſt Vir.* Pauca igitur, & rationabilia loquere, leniter & humiliter: ut paucis verbis magnam in te animam probes. Verba quid ſunt niſi verba? quò abeunt niſi in ventum? Et his tuam Gloriam credes? Time, ne inanem verborum tuorum pompam inaudiens, animo tuo apud ſe ſcribat hanc dicam: *Tinnit, inanis eſt.* Qui omnia eſt, humilis certè non eſt, quamdiu verbis turgeſcit. Quem porrò Humilitas deſtituit, nulla incolit Virtus. Univerſa enim Virtutum ſolidarum celſiſſima fabrica nititur fundamento Humilitatis. Ergò ſape, & ut ſapere credaris, verbis innoteſce paucis.



STM-

SYMBOLUM XXIV.

Compoſitio Oculorum, & totius corporis.

TEXTUS. Duodecimus Humilitatis Gradus eſt, ſi non ipſo ſolùm corde Monachus, ſed etiam CORPORE HUMILITATEM videntibus ſe ſemper indicet - - - inclinato ſit ſemper capite, DEFIXIS IN TERRAM ASPECTIBUS &c. *Eod. Cap. VII.*

24.



EXEGESES.

QUidquid in orbe rei eſt, Oculus *videt*, *indeque monſtrat*
Occultæ Menti, *móxque* cupido *furit.*
Quàm juſtum, *ſi figis humi*, *ſi lumina claudis:*
Clauditur hinc multæ dupla feneſtra neci.
Plurima ſi nunquam vidiſſes, *plurima nunquam*
Patrâſſes, *plectet quæ gravis ira DEI.*



Oculi ſcopuli! quàm ſubitò, quàm fortiter animos irritatis! Segniùs irritant animos demiſſa per aures, quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus. Quis Mundum, & omne, quod in Mundo eſt, amaret, niſi videret? Mi-

Mirum illud Prophetæ patientis: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Job. 31. 1. Quare non ait, ut ne viderem quidem Virginem? Nimirum vidisse jam cogitasse est. Sensuum velocior, acutior, vehementior nullus præ Oculo. Illicò animæ monstrat, quod videt, fomes universæ cupidinis. Et cohiberi non debet, si perire nolimus? Da gloriam DEO, atque liberè fateare: ánne, oculus liber animam tuam virginem esse sinit? ánne Sponsam DEI? Illi caro & sanguis, huic uniuscujusque creaturæ affectus vitium facit. Virgo continens esse debet animo & corpore: Sponsa verò DEI nihil omnino amare debet, nisi in DEO. Porrò oculi liberi in creaturas dispersi, dum oras, & psallis, nónne devotionem tibi furantur? Oculi liberi in cellis aliorum, in tabernis, & nundinis nunquid paupertatem apud te jugulant? Oculi liberi in mensa nónne Sacræ Lectionis fructum evacuant, gulam fovent, æmulationem, invidiam, zelumque pessimum facilè pariunt? Oculi liberi in claustro nónne sacrosanctum silentium rumpunt, ora dissolvunt? Oculi liberi in Superiores conjecti, quos audire jam sufficit, videre non opus est, nónne Obedientiam solvunt, si quid fortè humani aliquando coram te patiantur? Oculi liberi in omnes passim intenti nónne suspicionibus, judiciis temeris, ira, indignatione omnem tibi animam turbant? Et prædones hos pessimos ad humum non damnas? Vide, sed intra te vide, quid Rerum agatur? Conscientiam inspice, scelera, crimina, menda sic vide, ut horreas: sic perhorresce, ut quantocyus lachrymis deleas: sic dele, ut nunquam deinceps admittas. Præterea quæ supra te sunt, & quæ infra te, vide, præmia nempe & supplicia, horúmque arbitrum, qui venturus est, Judicem DEUM. Ita sanctè non vidēns, & videns, invenies gratiam in oculis Domini, qui te undique videt.



SYMBOLUM XXV.

Concordia cordis & oris in Pſalmodia.

TEXTUS. Conſideremus, qualiter oporteat nos in conſpectu Divinitatis & Angelorum eſſe. Et ſic ſtemus ad pſallendum, ut MENS noſtra CONCORDET VOCI noſtræ. *Cap. XIX. de Diſciplina pſallendi.*

25.



EXEGESES.

N*Emo eſt, qui grato* Thuris *non gaudet odore:*
Nec tamen id redolet, ni priùs igne *calet.*
Gratior aſt omni fervens Oratio *thure,*
Nubila deſpiciens pergit ad usque DEUM.
Ut placeat, faciet Concordia Mentis, & Oris:
Munera Mens *flammæ*, Vox *tua thuris agat.*

NOn ullum Orationis perfectius & elegantius aliquando Symbolum præ thure concipias. Quidquid in eo ſpectes, diſciplinæ eſt. Thus inter Gummata computatum, ex arboribus nobilibus ſtillat. Oratio quælibet ſancta

vix poteſt eſſe concepta, niſi à Juſto, qui erat tanquam Lignum plantatum ſecus decurſus aquarum, dabátque fructum in tempore ſuo. Thus, quamvis odoris gratiâ nonnunquam adhibeatur in domibus, attamen honoris causâ ſolo in Templo, Domo videlicet DEI adoletur. Oratio ſemper ad DEUM, etiam dum in honore Sanctorum oramus, dirigi debet: qui & in ſe, & in Sanctis ſuis laudandus. Thus imponimus thuribulo: Orationi deditâ operâ ſemper intentio ſancta præmittenda, ut in DEUM directa ſit. Thus ardentibus prunis injicitur: Oratio cordi, ſumma devotione accenſo, tanquam igni ſuperimponitur. Thus è profundo ſurſum aſcendit: Oratio cum humilitate perfecta cordis contriti inchoanda, & proſequenda eſt. Juſtus námque in principio orationis accuſator eſt ſui. Thus fumo redolente rectà Cælum petit: Oratio Juſti penetrat nubes. Thus miro odore diffuſum, totam domum ſuavitate perungit. Oratio devota gratus odor Altiſſimi, gratiæ ejus theſauros Bonitatis infinitæ refert ei, qui petit, & iis, pro quibus interpellat. Redolet itaque in Cælo: redolet in omni Eccleſia: redolet in purgantibus flammis. Thus denique fragrantia ſua malum quemlibet fœtorem diſpellit. Oratio devota orantem pro vitiis ſuis compungit, ſcelerum fœtorem abigit, languorem excitat, graveolentiam immodeſtiæ & ſcurrilitatis quantocyus diſſipat. Aſt verò hoc totum à Thure agitur, ſi ardeat: ab Oratione, ſi ferveat. Ignem ſubtrahe thuri: non fragrat, non fumat. Fervorem deme Orationi: non placet, non impetrat. Utinam non fiat in peccatum.




SYM-

SYMBOLUM XXVI.

Reverentia Orationis.

TEXTUS. Si, cùm hominibus potentibus volumus aliqua ſuggerere, non præſumimus, niſi cum humilitate & reverentia: quantò magis Domino DEO univerſorum CUM OMNI HUMILITATIS DEVOTIONE ſupplicandum eſt? *Cap. XX. de Reverent. Orat.*

26.



EXEGESES.

G*Arrula non laudat, ſed Templum turbat* hirundo,
Dum cantando volat, *dum* revolát*que frequens.*
Oratûm veniens ni mentem colligat *omnem*,
Spontéque diſpergat, deſpicit ille DEUM.
Quæ ſit Majeſtas, quàm ſitque tremenda, revolve,
Cui loqueris: quàm ſis tu miſer, æger, inops.

Túne concivi tuo, ne Principi & Domino dicam, dum ei loqueris, tergum tuum, pſittaco verò, ſimiæ, cani, feliculo faciem obvertis? minimè gentium, ais.

Eccur

Eccur itaque DEO ac Domino Exercituum, Regi Seculorum immortali loquens in oratione, mente tua, non, quando illa ſe tibi pro fragilitate tua ad modicum ſurripit, ſed mente, quam nunquam in DEUM collegiſti, extra illum omnia cogitas? Non porro collegiſſe te videt, quisquis te videt garrulum & ridiculum accedere pariter, & recedere ab oratione. An credis, an times Majeſtatem, quàm adorare te ſimulas? Ut ores, & ores ſine intermiſſione, cum fide & tremore, te cogit, quia factus es ad gloriam DEI. Ubi apud te honor ipſius? Cogit te, quia ſine illo nil habes, nil potes, nil tenes, nil accipis: quia reus es, venia egens, infirmus, medicamine ſanandus, pauper, ſtipe ſuſtentandus. Ubi auxilium tuum opportunum? Cogit te, quia Eleemoſina Fundatorum ideo vivis ſine cura & labore, ut vacet tibi, orare DEUM, & exorare pro omni provincia, quæ panem cum ſudore tibi interea ſerit, & metit. Ubi ſpes hæc, ubi fructus hic patriæ? Cogit te tandem, quia de clero, de ordine Sacerdotum es, quibus incumbit ex munere ſuo, imbecilles populi preces ſuſtentare, mediatores agere peccantium, Advocatos apud DEUM ſe miſeris, & afflictis præbere. Ubi hæc officia tua? Túne blandiaris, ſive veriùs mentiaris tibi, in tanta Orationis tuæ deliberata irreverentia pertinere ad te illud *Eccleſiaſtici* Cap. XXXV. v. 20. *Qui adorat DEUM in oblectatione* (alacriter, nimirum, reverenter, ſanctè, atque hilariter) *ſuſcipietur, & deprecatio illius usque ad nubes propinquabit.* Nónne metuas potiùs, cùm alioquin propter Gradum tuum tam longè ſupra populum à DEO elevatus ſis, nihilominus tua culpa te ſtare in populo illo, de quo Dominus conqueſtus eſt Math. XV. v. 8. *Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Inſpice hirundines in templo inſoleſcentes, & vel tibi inviſas, mentísque tuæ deditâ, vel inertiſſimâ operâ diſſolutionem viva quadam imagine depictam erubeſce. Vivis de Altari: ergo & ſervias Altari ea cum reverentia, quæ decet Dominum Altaris.



SYM-

SYMBOLUM XXVII.

Cura fratrum delinquentium.

TEXTUS. Omni ſolicitudine CURAM gerat Abbas CIRCA DELINQUENTES FRATRES: quia non eſt opus ſanis Medicus, ſed malè habentibus. *Cap. XXVII.*

27.



EXEGESES.

ARbor *ubi* vitium ramo *fors fecerit uno*,
Hunc Reſecas: *ſupereſt illa, virétque magis.*
Frater ubi peccat, Patris eſt Fratrúmque juvare,
Ferréque collapſo, quò citò ſurgat, *opem.*
Gratia ſpondenda eſt: ut ſupplicet ille, monendus.
Quærite *quæ periit, ne* juguletis *ovem.*

AFflicto ne addas afflictionem, Humanitas, Charitas, Lex, Evangelium jubent. Corde porrò pœnitentis quid magis afflictum? Hujusmodi hominem abundantiori triſtitiæ immergere, tantùm non perimere eſt. *Triſtitia enim exedit cor, & omnis plaga triſtitia cordis eſt.* Eccl. XXV. 17.

17. Abſorbetur autem frater, qui peccavit, triſtitiâ ſuâ, ſi contemni & abjici ſe intelligat: ſi non ſit, qui ſapienter amantérque eundem conſoletur: ſi meris increpationum tonitruis, pœnarúmque fulminibus ſuper ſe omne Cælum Regulare inhorreat: neque meminerint accuſatores atque judices ſui verborum Domini. *Joann. VIII. v. 7. Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat.* Hæc mitiſſimus Dominus ajebat Phariſæis in gratiam fœminæ, manifeſto in adulterio deprehenſæ, non obſtante expreſſa lapidationis lege per Moyſen lata & quamvis delictum publicum publico ſcandalo claruerit. Nihilominus tamen Sapientia incarnata peccanti mulieri & culpam, & pœnam, miſericordia ſuperexaltante judicium, & Gratia interveniente remiſit. O quàm itaque verecundum eſſe debet hominibus animadvertere in delinquentes, niſi morte, pœnâ tamen, quæ revera ſit mors lenta & diuturna, hominémque velut in certiſſimam mortem impellat! Diſcretus ergo ſit modus diſciplinæ, quantumlibet præceptæ. Suadeatur peccanti, ut gratiam delicti apud Prælatum, præprimis verò apud DEUM humiliter quærat, eámque à ſe fiducialiter impetrandam fore, benignè ſpondeatur. Intelligat fructum dulcem humilis pœnitentiæ, Evangelici Patris cor amantiſſimum, Gaudium Angelorum in cælo majus ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis. Doceatur, quæ ſit ſalubritas, & neceſſitas diſciplinæ: qua legi ſatisfit: qua unus corripitur, multi à crimine abſterrentur: qua brevi tempore, diſcretóque modo exolvitur, quod acerbis pœnis à morte, & fortè æternùm foret luendum. Cùm peccatum impunitum eſſe non poſſit, eos plerúmque ſecuriſſimos veniæ videri, qui publicè pœnitent, etſi lege coacti, modò in pœna pacati. Sic lapſus erigitur, ſic æger ſanatur, ſic vitio cæſo, arbor nihilominus virebit, ſic demum, operâ fraternæ ac diſcretæ charitatis, ſpes erit non minima, oviculam perditam quærendi feliciter, feliciùs reperiendi.



SYM-

SYMBOLUM XXVIII.

Oeconomorum Diligentia.

TEXTUS. Omnia Vaſa Monaſterij, cunctámque ſubſtantiam, ac ſi Altaris vaſa ſacrata conſpiciat. NEQUE AVARITIÆ STUDEAT, NEQUE PRODIGUS SIT, aut diſſipator ſubſtantiæ Monaſterij: ſed omnia menſuratè faciat, & ſecundùm juſſionem Abbatis. Humilitatem ante omnia habeat, & cui ſubſtantia non eſt, quæ tribuatur, ſermo reſponſionis porrigatur bonus. *Cap. XXXI. de Cellerar. Monaſter.*

28.



EXEGESES.

E*Xcipit ut fontem, ſic rurſum* Concha *refundit*,
Sed cum menſura, dat, retinét*que ſatis.*
Sic pariter faciat, Marthæ *qui* munera *præſtat*,
Qui Fratrum curat corpora, *résque Domûs.*
Danda neget *nulli*, *ſed* nulli dét*que* neganda:
Si ſit inops rerum, det bona verba: ſat eſt.


Ille non reputes, aliorum corpora neceſſariis ſuis fovere, ut illi animo ad cæleſtia vigeant. *Qui benè miniſtrat*, *bonum ſibi gradum acquirit* apud eum, qui bonorum

noſtrorum non egens, cùm ipſe det omnibus affluenter, oculum ſimplicem multò magis diligit in nobis, quàm opera ſpecioſa. Ne doleas, qui juberis à culina, à Cellario, à Veſtiario eſſe, aut in villa, vel grangia ruſticari. Ne malis eſſe Doctor in Schola, Apoſtolus in Cathedra: immo ne vel Mariæ, quietè ad pedes Domini ſedenti, invideas. Operæ tuæ pretium Obedientia potiùs, quàm officium tuum. Oeconomum verò ubiubi te voluêre? Menſuratè fac omnia. Sic parcus eſto, ut nemini avarus videare: ita liberalis, ut nemo te prodigum damnet. Stateram tibi moderetur præceptum Prælati: quod idem & ſcutum adversùm multorum judicia præbebit. Tuum reputes nihil, omnia pauperum Chriſti. Hinc tibi verecunda ſit manus, qua diſpenſas, & omnium recularum ſervandarum tanta exiſtimatio, quanta vel Divinæ in Ara Supellectilis. Utrarúmque rerum ut idem eſt Dominus: ita in ambas æquè nulla tibi licentia. Eſt tamen, quod unicuique dare ſemper & undique poſſis, ſive divitem penum, ſive inopem habeas, ſi ſupercilium ponere noveris. *Verbum bonum ſuper datum optimum.* Hoc in ore tuo identidem ſuper mel & favum dulcius reddet vera cordis Humilitas. Placebis humiliter dandô, quod potes, ac debes: ſed & nemini bono diſplicebis amanter deprecandô, quod ei tribuere nec debes, nec potes.



SYM-

SYMBOLUM XXIX.

Fuga Proprietatis.

TEXTUS. Ne quis præſumat aliquid dare, vel accipere ſine juſſione Abbatis, NEC ALIQUID HABERE PROPRIUM. - - - Quippe quibus nec corpora ſua, nec voluntatem licet habere in propria proteſtate. *Cap. XXXIII.*

29.



EXEGESES.

T*Urbine jacta maris jamjam peritura* Triremis
Servet, ait: malim, ſorbeat æquor opes.
Qui tua cuncta tibi pro Chriſto ſponte negaſti,
Quidquid in his repetas, naufraga vela facis.
Ergò tibi proprium *meritò* nihil *eſſe ſinatur*:
Vindicat æternùm talia furta *DEUS.*

SI quæ charybdis in clauſtro metuenda ſuperſit, Proprietas eſt. Voviſti DEO pauper eſſe: apud quem quàm certa voti ſoluti ſunt præmia, tam infallibilia violati ſupplicia. Quoties ab Eccleſiaſte audiſti Cap. V. v. 4. *Diſplicet*

cet DEO ſtulta & infidelis promiſſio, multóque melius eſt non vovere, quàm poſt votum promiſſa non reddere. Vovere unius momenti eſt: reddere vota totius, quantaquanta eſt, vitæ. Qui ſemel eſt DEI, jam nunquam fit ſuus. Hinc eſt, quòd Eccleſia, quæ Ordinem tuum probavit, nullo unquam canone in Monacho proprietatem permiſerit: quin contra eandem horrendis ſemper pœnis addixerit: quas & in ſingulos annos iteratò repetit, atque intentat. Subſtantia Monaſterij Eleemoſina Fundatorum eſt, & patrimonium pauperum Chriſti. Horum quicunque è numero ſunt, jus acceperunt, ut provida communis in Monaſterio Patris, apud quem ſolum hujus ſubſtantiæ diſpenſatio eſt, ſolicitudine ali debeant. Licitè ergo ea, quæ ſe contingit ex diſtributione Prælati, hujus ſubſtantiæ portione utuntur, cúmque benedictione, ſi ſalva diſciplina id faciant, nemine contradicente fruuntur. Privatim verò acquirere ſibi quacunque induſtria, acquiſita recipere, recepta tenere, retenta pro libitu ſuo diſpenſare, furtiva ſunt omnia, nullóque jure tuenda, extra permiſſionem Prælati expreſſam, vel omnino rationabiliter præſumtam: cujus tamen etiam facultas in ſuperfluis non patrocinatur. Vide itaque Clauſtri Seculique diſcrimen. Seculi homines, rerum terrenarum vel poſſeſſione divites, vel cupiditate repleti, infando navigant pelago, mille inter mortes miſeri jactantur. Clauſtra non habent niſi placidum fretum. Illi in altum ſubeuntes, graves ſuas ad portum triremes ingenti cum periculo ſubducere ſtudent. Monachi cymbula exigua rerum paupere vecti, propè litus ſecuriſſimè tendunt. Quid itaque agis, qui dedito deſiderio tuo Altum præ litore, onerariam navim præ volucri cymbula optas? Vide, quem olim Charonti naulum perſolvas. Quò dulciores quis putat aquas furtivas, tantò infeliciùs olim vereor ne ſitire cogatur Fontem Aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam. Ne te, quæſo, decipiat honeſtas earum rerum, quas forſitan clàm Prælato tuo curas, atque procuras libera tua diſpoſitione: omnem hujusmodi honeſtatem, rebus intrinſecam, ab extra dehoneſtat conditio ſtatus tui, per quam proprietatis, liberæque diſpoſitionis æternùm es incapax. Senſu itaque ſapientum pereat, quidquid eſt opum, ut ſalvum ſit una cum nauta navigium.



STM-

SYMBOLUM XXX.

Murmurationis malum.

TEXTUS. Ante omnia ne MURMURATIONIS MALUM pro qualicunque causa ab aliquo qualicunque verbo vel significatione appareat. *Cap. XXXIV. Si omnes æqualiter debeant necessaria accipere.*

30.



EXEGESES.

FLumen *ubi currens offendit ad obvia* saxa,
Quæ findunt undas, diminuúntque sibi,
Murmurat, *& strepero sonitu velut increpat hostes.*
Discolus in Claustro sic quoque frater agit.
Si non cuncta licent, vel si non optima dentur,
Murmurat, *& spernit*, pro Patre stare DEUM.

MAgnæ molis opus, integræ Congregationi providere tanquam Communis Pater, sartam tectam conservare disciplinam, animas æquè ac corpora universorum curare. Magnæ, inquam, molis opus in humeris unius hominis! Quem nisi assumeret, nisi regeret ipse DEUS, quàm nimis

mis infirmus eſſet? Sed vices DEI gerit: lumine DEI illuſtratur: juſſa DEI accipit, & exequitur. Unde, niſi oblitus DEI, quod nunquam præſumas, contra DEUM jubeat, quidquid diſponit, ac mandat, tanquam à DEO præſente id fieret, certè accipere debes. Et murmurare contra Patrem tuum leviſſima de cauſa audes? parvipendis? contemnis? Nónne contra DEUM eſt murmur tuum, qui in Patre tuo Ipſe tibi eſt Pater? Murmurare res gravis, res noxia, res peſtilens! Cogita, obſecro, electum olim DEI populum, hodie abjectum. Verſa reverſa, volve revolve, lege & relege veteris teſtamenti paginas benè multas, & vide, ſi non murmura perpetua necârunt omnem populum de Ægypto egreſſum in deſerto, ne uno quidem è tot tantisque millibus, præter Joſue & Caleb, in Terram Promiſſionis admiſſô. Nónne DEUS illico in Mariam Sororem Moyſis (quantæ exiſtimationis apud omnem Iſrael fœminam!) mox, ut contra Fratrem murmuraverat, infami leprâ vindicavit? Putas, quòd adeò quondam diſplicuit magno DEO, eidem hodie non æquè fore inviſum? Cave, ſi patienter duci regique nolis à Patre, quem DEUS tibi conſtituit, ne hic, ulturus & Vicarium ſuum, & ſpretam à te Gloriam ſuam, te pariter abjiciat, ut non ſis filius ſuus, atque æternùm à Patria illa beata, quò tendimus omnes, excludat.



SYM.

SYMBOLUM XXXI.

Cura Infirmorum.

TEXTUS. Infirmorum cura antè omnia, & ſuper omnia adhibenda eſt, UT SICUT REVERA CHRISTO EIS SERVIATUR, quia Ipſe dicturus eſt: *Infirmus fui, & viſitâſtis me.* Et: *Quod uni feciſtis de his minimis meis, mihi feciſtis.* Sed & ipſi Infirmi conſiderent, in honorem DEI ſibi ſerviri, & non ſuperfluitate ſua contriſtent Fratres ſervientes ſibi. *Cap. XXXVI. de Infirm. Fratrib.*

31.



EXEGESES.

Quæ jamjam eſt ruitura Domus, *per* fulcra *juvatur,*
Ulteriùs Domino *ut ſerviat illa* ſuo.
Infirmo Fratri debetur maxima cura,
Cùm Templum *vivum, cùm ſit* Imago *DEI.*
Fratribus, ut Chriſto, *patiens patientibus adſta:*
Præmia compatiens cum patiente feres.



Verba dulcedinis infinitæ, procedentia ex ore Filij DEI Mathe. XXV. v. 34. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete para-*

paratum vobis Regnum à constitutione Mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: INFIRMUS, ET VISITASTIS ME: *in carcere eram, & venistis ad me. - - - Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his Fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Soli facem accenderet, mari aquam affunderet, in ventum Spargeret verba, quisquis hunc melleum Domini nostri Sermonem, penetrabiliorem omni gladio ancipiti, urgere quacunque oratione composita vellet apud eos, qui Spiritu DEI aguntur, & ideò Filij DEI vocantur, & sunt. Revocâsse in memoriam sufficit infinitè dignum tuæ miserationis objectum, ineffabile tuæ misericordiæ præmium. Erubescat, si quis est, qui ad hæc pigeat, & in tempore agat, nè fortè ad se pertineat, quod apud Evangelistam statim post præmissa, utique cum horrore pij cujuslibet animi, legere licet. Diligens interim Infirmorum cura, pro Christi amore suscepta, neque animam, neque corpus ægri Confratris negligere debet. Non animam: ut Virtus ejus per jugem Compunctionem, Resignationem, patientiam, sanctas aspirationes, frequentata Divina Mysteria in infirmitate perficiatur. Colligenda est illa in DEUM: absit, ut fabulis, vanisque visitantium rumoribus dispergatur. Non corpus: quia etiam in Religiosissimo quoque omnia naturæ pondera trahunt ad vitæ, pristinæque incolumitatis amorem. Insito ergò huic & connaturali affectui, quomodolibet liceat, obsecundandum: quo pacto Anima quoque infirmi plenam tibi sui copiam faciet. Nulli solatio infirmi corporis parce, ut in Anima regnes. Beati oculi tui inter hæc forsitan insomnes! beatæ nares fœtore forsitan offensæ! Beatus animus tuus, quem infirmi, doloribus inebriati, suíque verè non compotis nulla impatientia, asperitas, indignatio frangunt! CHRISTO, cujus Templo vivo ruinam meditanti te fulcrum supponis, debitorem habes & vadem Gloriæ tuæ immortalis.




STM-

SYMBOLUM XXXII.

Lectio Mensalis.

TEXTUS. Mensis Fratrum edentium LECTIO deesse non debet, - - - summúmque Silentium fiat ad Mensam, ut nullius mussitatio, vel Vox, nisi solius legentis, ibi audiatur. *Cap. XXXVIII. de Hebdomadar. Lector.*

32.



EXEGESES.

ARbor *sit quamvis Terra prognata parente,*
Poma tamen vegetæ dulcia debet Aquæ.
In nobis Corpus quantumvis nutriat esca,
Procreat ast fructus Lectio sacra *bonos.*
Arbor *es*, *&* fructu *pensabere judice Christo:*
Ore cibos, *animo mandere* lecta *stude.*

VIvere tibi quid prosit, nisi sobriè, piè, ac justè vivere detur? Vita tua certissima mortis victima: benè autem si vixeris, peculium promis, quo cælum tibi vendibile prostat. Verbô, Arbor es, in qua Pater cælestis non

ſpeciem, non ætatem, non luxum foliorum exquirit, ſed fructus repoſcit. Hos bonos niſi feceris, excidendam, & in ignem mittendam te comminatur. Quàm verè itaque *non eſt Regnum DEI eſca & potus: ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto?* Rom. XIV. v. 17. *Eſca ventri. & venter eſcis: DEUS autem & hunc, & has deſtruet.* I. Cor. VI. 13. Solicitè penſa, quia Doctore Filio DEI Math. IV. v. 5. *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de Ore DEI*, nimirùm tanquam Fons Aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam. Felix Arbor, citrà dubium mirum in modum fœcunda fructibus Spiritus Sancti, quæ hoc fonte Divino irrigari inexplebiliter cupit, & ſatagit. Corpus refice, uti diligentiſſimè facis: cave autem, nè omnem in menſa operam tuam impendas in ſolam eſcam vermium. Refice multò magis & ſpiritum, cui primæ debentur: ipſe enim eſt, qui fructificat. Sacræ ad menſam Lectioni aure cordis magis, quàm corporis auſculta, ut frugi ſis homo. Ni feceris, quærenti aliquando ex te fructus, & non invenienti Filio hominis, ſedenti in throno DEI, fruſtrà famem obtendes in terra, ſive penuriam Verbi DEI. Neque enim eos inter parvulos es, qui petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Patrem domi tuæ habes, qui ex lege Regulæ utrumque panem, cordis ac corporis, quotidie diligentiſſima providentiâ tibi diſpenſat. Si ſterileſcas, quid cauſæ erit, niſi quòd ipſe cum Religione comedere nolis? Quot verba Lectionis Sacræ, tot ſtillæ pluviæ cæleſtis. Quantas harum vago animo, indiſciplinato oculo, vel garrula lingua neglexeris, tot aurea poma tui profectus ipſe tibi ſuffuraris, jacturâ, quam amarè deflebis, cùm reparare haud ampliùs poteris.



SYM-

SYMBOLUM XXXIII.

Abſtinentiæ Utilitas.

TEXTUS. Unusquisque proprium habet Donum ex DEO, alius ſic, alius verò ſic. - - - Quibus autem donat DEUS tolerantiam ABSTINENTIÆ, propriam ſe habituros mercedem ſciant. *Cap. XL. de Menſura potûs.*

33.



EXEGESES.

FIſtula *dulce melos*, *& ſuavia cantica promit*,
Si ſubeat vacuum ſpiritus *ore* ſinum.
Crebra tibi vacuent *jejunia ſobria* corpus,
Adveniétque frequens Spiritus ecce! *DEI.*
Hoc animante dabis cæleſtes pectôre voces,
Et toti clanges Muſica grata Polo.

NOn facilè ad Virtutem expeditior via præ ſobria victûs ratione, & perfecta Animi temperantia. Reges illa facit, quos Gula cum ingenti, ſi patimur, opprobrio noſtro ad compedes damnat. Sobria mens indomitis animi motibus

tibus Sceptro ſuo, uti virga ferrea dominatur: Regit eos, coërcet, & comprimit. Contrà quem crapula & ebrietas gravant, nulli concupiſcentiæ par eſt edomandæ: neque Spiritus Divini, neque Sapientiæ, neque vigilantiæ capax eſt, immò & ſuæ rationis non compos. Quantùm adipe caro farcitur, tantùm proficit ad macellum, quo jugulatur. Æſtuat enim venter repletus, quaſi olla ſuccenſa: vel ſi non æſtuat, ſtertit. Utrumlibet agat, à malo eſt. Stertendô quippe nil boni, æſtuandô nil benè fit. Miſera anima in corpore, quod eſurire non didicit. Ejulat illa: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Vivens enim jam mortua eſt. Nam opera ejus vel vitâ indigna, vel planè digna ſunt morte. Domeſtice DEI! ah! ne patiare, membra tua ſemper arma iniquitatis ſervire ad iniquitatem. Quin potiùs ſanctâ ſobrietate fac ea ſervire juſtitiæ, veritus, ne ſubitò dicatur Judici juſto de te: *Ecce homo, & opera ejus!* Vacuum natura quidem abhorret, ſed Gratia quærit: cujus oleum fluet, usquequò vaſa vacua fuerint. His deficientibus ſtabit. *Dilata os tuum*, Spiritus Domini ait, *& implebo illud.* Nónne vacuum quærit, quoniam plenum impleri non poteſt? Attende, quæſo, Spiritui, qui ſpirat, ubi vult. Neglectum à te, uti neſcis, unde venerit, ita & quò vadat, æternùm ignorabis.



SYM-

SYMBOLUM XXXIV.

Silentium maximè nocturnum.

TEXTUS. Omni tempore SILENTIO debent ſtudere Monachi, maximè tamen NOCTURNIS HORIS. *Cap. XLII. Ut poſt Completorium nemo loquatur.*

34.



EXEGESES.

NOſtra omnis gemino verſatur cardine vita,
Atque labore Dies, Nóx*que* quiete *fluit.*
Ecce! DEI Sapientis opus. Pervertere quisquis
Hoc auſit, fatuus deſipit, errat, hebet.
Sat tibi dant Senſus ſub Sole micante laboris,
Sat belli, & pugnæ: Nocte vacato tibi.

ANnè non ſufficit diei malitia ſua? quid noctem inimicam homini in te ſpontè proritas? DEI beneficio factum eſt, ut Sole cadente diſpereant objecta, quæ ſenſus tuos tot peſſimis motibus in tui perniciem concitant. Et tu hoſtes inermes ad lampadem nocturnam ultrò in te ſpontè obarmas? Ne noctem vertas in diem. Quin potiùs, ſi ſapias,

pias, commiſſa ſub ſole nocte ſepelias. Lava per ſingulas noctes lectum tuum, & ſtratum tuum compuncti pro erratis animi acerbis lachrymis riga. Quid ſomnus, quem capies tandem, niſi plurima mortis imago? Et mortis antè ſomnum immemor eris? Mortis, inquam, qua forſitan hac nocte indormies, Orientem non alium, quàm terribilem Solem Juſtitiæ, Judicem DEUM viſurus? Apage nugas, ubi vitæ & ſalutis periculum facis. Neminem nôſti, qui nocte decubuit, & nunquam ſurrexit? Quæ miſera ſors alium involvit, & tibi eſſe in januis poteſt. Execrare fabulas veſpertilionum tenebricantium: tinniant potiùs Aures tuæ ad has revera formidabiles præmonentis te Veritatis commonitiones. *Veniet nox, in qua nemo poteſt operari. Media nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit, exite obviam ei: & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt janua. Stulte! hac nocte repetent animam tuam à te. Veniam ad te, tanquam fur in nocte.* Hæc meditare tu nocte cum corde tuo, hæc tecum ipſo confabulare: & orietur in eo Lucifer ô quàm beatus. Noctem inſigni DEI benignitate quieti tam corporis quàm animi tui factam uni tibi impende: tibi vaca, & modis omnibus cura, ne ſuſcitet te, ne unquam evigilare faciat horis maximè incompetentibus quiscunque alius dilectorum tuorum. Solus cum ſolo DEO per amica ſilentia noctis tracta negotium beatæ æternitatis.




SYM-

SYMBOLUM XXXV.

Operi DEI nihil præponendum.

TEXTUS. Ad horam Divini officij, mox ut auditum fuerit Signum, relictis omnibus, quælibet fuerint in manibus, ſumma cum feſtinatione curratur, cum gravitate tamen, ne Scurrilitas inveniat fomitem. Ergo NIHIL OPERI DEI PRÆPONATUR. *Cap. XLIII. de his, qui ad Opus DEI tardè occurrunt.*

35.



EXEGESES.

O*Mnibus* Alpha *notis*, *quas prima elementa vocamus*,
Undeque formamus verba diſerta, præit.
Alpha & Omega DEUS, *dánsque omnibus omnia*, *nónne*
Supplice præ cunctis *mente colendus erit?*
Nil igitur præpone Sacris: *linque omnia*, *curre*,
Hora ubi ſervitium poſcit, Opúsq*ue* DEI.


Cce! Magiſter adeſt, & vocat te. O pietas immenſi Domini in ſervum viliſſimum! Tam rara, quàm ſumma in Aulis Gratia, pauperem civem vel ſemel,

vel ad aliquot solummodò momenta posse alloquio Principis frui, eventu interim maximè dubio, audiat supplicem, annè repellat? Tibi Rex Regum, & Dominus Dominantium, sub quo curvantur, qui portant orbem, cui millia millium in excelsis ministrant, & decies centena millia assistunt, tibi, inquam, Rex iste Seculorum immortalis, Dominus Virtutum, & Rex Gloriæ, vultum immensa pietate plenum semper hilaris diu, noctúque amantissimè porrigit: aures præstat precibus tuis semper intentas: manus exhibet thesauris infinitis opple-tas, & veluti rore matutino dulcedine omni stillantes. Tardantem te suavissimè vocat: venientem benignissimè excipit: redeuntem bonis & donis abundantissimè cumulat. Et tu ad hunc tantum, talémque Gratiæ Thronum, ad expansum Clementiæ Sinum accedere, ne dicam accurrere, tardas, lentescis, pigrescis? Servus Dominum, filius Patrem, cliens Patronum, Sacerdos Altissimi DEUM tuum fastidis? Peccator veniam, Æger salutem, inops divitias, tribulatus levamen, tentatus adjutorium, exagitatus refugium negligis? Si talis es, & non modò tuas, verùm omnis pariter Provinciæ necessitates, pro quibus ut apud DEUM interpelles, constitutus es, aleris, & largiter sustentaris, ad eum referre statis diei noctisque temporibus despicis, quod nolit omnipotens, nescio sanè, tibi quid dicam. Hoc duntaxat in Aurem. Alpha tandem cum puerulis disce, tecúmque pensiculatiùs, quæso, meditare Alpha & Omega DEUM. Meditare, inquam: iterum dico, meditare. Stare ad solem videre est: contemplari DEUM eundem amare est. Amandô quæres, quærendo invenies, inveniendo delectaberis in DEO tuo, delectando nunquam satiaberis.



SYM-

SYMBOLUM XXXVI.

Otiositas fugienda.

TEXTUS. Otiositas inimica est animæ. Et ideo certis temporibus occupari debent Fratres in Labore manuum, certis dierum horis in Lectione Divina. *Cap. XLVIII. De opere Man. quotid.*

36.




EXEGESES.

UT *libet, arripitur, recubans quæ deside testa*
Ecce! dies totos Cochlea pigra *terit.*
Sic otio *quisquis torpescit, ad omnia promtus*
Crimina, fit cupidæ commoda præda stygi.
Unde labore *tuis* alterno *prospice rebus:*
Nunc cane, nunc ora, nunc lege, scribe, stude.

FActi à DEO, atque missi in Mundum, bona multa de manu ejus singuli accepimus: quæ tamen sua nihilominus, nostra verò minimè existunt. *Negotiamini*, ait, *dum venio.* Imperium hoc, *Negotiamini*, vafer Serpens ille stygius fatali sybilo dolosè nobis circumcidit, ut veluti Ec-

cho mendax insonet in auribus nostris: *Otiamini*. Cicero hoc pacto pro domo sua versipellis ille, prædis infinitis, ex homine detractis, ditescit. Dari pecuniam suam ad mensam numulariorum voluit Dominus, ut cum usuris eam à nobis olim reciperet. Is porrò, qui audit serpentem, talenta sua Sudario, quo ad sudorem abstergendum, è laboribus profectum, uti debuerat, piger & otiosus involvit. Atque inde non modò lucra nulla, sed etiam detrimenta plurima reportat. Otiari siquidem regredi, non progredi est: adepta jam merita pessumdat, & adipiscenda sufflaminat. *Non plus ultrà* pigri est tessera: Domini verò, *Plus ultrà*. Dixit námque: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Sed & dilectus Domini Discipulus desidem quemlibet admodùm ferit, dum scripsit: *Qui manet in Charitate, in DEO manet, & DEUS in eo.* Charitatem si piger conservaret, magna operaretur. Ut fumus ignem, sic Charitatem opera produnt. In quo ergò Charitas non manet, quæ jungit amantes, quomodo is manet in DEO, & DEUS in eo? quomodo olim DEO adhærebit in patria, apud quem otiositas inimica Animæ vinculum Charitatis identidem abrumpit in via? Neque DEO piger, neque sibi, neque fratribus utilis, soli diabolo ab officio est: cui vel stertenti ultrò obsecundat. Tam enim jam antiquum, quàm verum est: Otium pulvinar diaboli. Sapientis emblema erat: *Vade ad formicam, ô piger!* Sed refugit forsitan, qui talis est, vel umbram videre laboris. Cochleam ergò intueatur secum stertentem in testa, connaturalem planè desidiæ inertis imaginem. Si tamen non omnis in eo ratio dudùm pigritando putruerit, obsecro, pensitet, an vel ullum insectum facilius captu, quàm Cochlea? Extende manum, & habes. Æquè porrò promtum diabolo semet intelligat, & expavescat.



STM-

SYMBOLUM XXXVII.

Reverentia Templi.

TEXTUS. ORATORIUM hoc ſit, quod dicitur, nec ibi quidquam aliud geratur, aut condatur. Expleto opere DEI omnes cum ſummo Silentio exeant, & AGATUR REVERENTIA DEO. *Cap. LII. de Orator. Monaſter.*

37.



EXEGESES.

STernuntur crates *patefacta ſub* Atria Templi,
Semita lapſuro non benè tuta pedi.
Sic pecus arcetur, geritur Reverentia Sancto:
Summus ubi DEUS eſt, ſit quoque ſummus honor.
Os preme: nam Domus hæc devota ſilentia poſcit.
Oranti ſtructa eſt Aula ſacrata DEI.

QUàm immenſa eſt dignatio Templum DEI cum hominibus, ut omni ſub Sole non ſit alia natio tam grandis, quæ verum habeat DEUM appropinguantem ſibi: tam non ferenda eſt omni homini bono inſolentia,

lentia, in Domo DEI homines, quasi porcos, grunnire. Abraham colloquio DEI, & promisso Filij, atque innumerabilis populi ex eo nascituri recreatus, non potuit non ad tanti gaudii nuncium modestè lætandô subridere. Sed audi Scripturam Gen. XVII. v. 17. *Cecidit Abraham in faciem suam, & risit.* Humani aliquid se passurum præsentiens in conspectu DEI vivi, verecundiâ tantâ præ reverentia erubuit, ut faciem risuram terræ affigeret. Seraphim stantes ante Thronum DEI, duabus alis velabant faciem, quia splendorem ferre non poterant: cæteris verò duabus velabant pedes, quòd iisdem dignè satis inflexis revereri DEUM nequirent. Seraphim alter linguam Isaiæ emundaturus, carbonem de Altari forcipe abstulit. Eccur non manu? reverentia nempe vetuit Altare contingere. Ingeniosiùs forsitan quàm ponderosiùs hæc dicta existimes. Edissere igitur, quando legisti, Filium DEI conversatum cum hominibus, crimina ulla, quæ quidem exprobraverat sæpe, per seipsum vindicâsse? Solo in Templo, cùm vendentes & ementes videret, zelus Domus DEI ità eum comêdit, ut numularios, facto flagello de funibus, ejiceret, ac mensas eorum everteret. Neque hoc Domini factum, terribile tam iis, qui viderant, quàm nobis, qui legimus, alicujus apud te ponderis erit? Fortè hanc ejus iram in odium & pœnam fœnerationis atque lucrorum iniquorum refundes? Vanus es, & nullus in hoc totus. Hujusmodi farinæ homines, in quibus & Matheus, & Zacheus erant, alibi à se visos tantum abest eum expulisse à se, ut potiùs ad se quàm benignissimè vocaret. Vehementis, sanctissimæ tamen iræ suæ causam luculentè expressit, fulminis in modum intonans. *Scriptum est: Domus mea domus Orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Solve hoc argumentum, qui Templo usquequaque risibus & fabulis irreverens es, neque multùm à latronibus distas. Quot enim non animas meliores te scandalizas? Sed perge, si è re tua videatur, in loco Gratiæ thesaurizare tibi iram pro die iræ, & vide, quo demum in loco veniam sis promeriturus.



SYM-

SYMBOLUM XXXVIII.

Hoſpitalitatis leges.

TEXTUS. Omnes ſupervenientes HOSPITES tanquam CHRISTUS ſuſcipiantur, quia ipſe dicturus eſt: *Hoſpes fui, & collegiſtis me.* Et omnibus congruus honor exhibeatur, maximè Domeſticis fidei, & Peregrinis. - - - Pauperum & peregrinorum maximè ſuſceptio omni cura ſolicitè exhibeatur: quia IN IPSIS MAGIS CHRISTUS SUSCIPITUR. Nam divitum terror ipſe ſibi exigit honorem. *Cap. LIII. de Hoſpitibus ſuſcipiendis.*

38.



EXEGESES.

Ultrò ſe pandunt Mala Punica, *viſcera granis*
Dulcia purpureis ſponte patere volunt.
Haud ſecus & Chriſtus *quæ* pectora ſauciat, *omni*
Se pandunt *miſero*, *ſemper* amore rubent.
Exſpoliant ſeſe ipſa bonis, ut pauper alatur:
Perdita non perdunt; dat nova dona DEUS.

BEata Religioſæ Hoſpitalitatis teſſera, maximè illa, quam Pauperes Chriſti, pio ſuggerente Charitatis affectu, Domeſticis fidei, Peregrinis, & egentibus largiuntur, ut

ut Christum in eis suscipiant. Beata secula, quibus Claustra adhuc Regias extrà vias in Montibus, Vallibus, atque Sylvis velut inviis condita, carnem & sanguinem non intromiserunt, sua in solitudine quieta. Si quis non egentium ad Monasteria se contulit, ædificationis id ergò, & compunctionis capiendæ, vel verò amplioris devotionis in summis festis exercendæ causâ & occasione fiebat cum summa modestia. Opipari instar epuli eis fuerant fabæ & pisa, atque vilia quæcunque Monachorum pulmenta. Hæc utrinque parsimonia Penum Monasterij, licèt non uberrimam, parem tamen fecit reliquæ peregrinorum & egentium turbæ, quæ nunquam defuerat, peramanter refocillandæ. Sed fuêre illa, non sunt ista hæc Secula: qualia insuper veluti frustrà jam speres. Neque tamen propterea Charitas suo deesse officio debet. Si semper de pauperibus cum affectu curetur, semper erit, quod cum Charitate tribuatur. Fœneratio ista ô quàm superat lucra quorumlibet numulariorum! Amore in pauperes si certes cum Christo, vincere sanè non dabitur tibi: vinci tamen præ omni victoria proderit. Amore sui expensa recipit equidem Christus: sed non, nisi tuos in usus, reponit. Eleemosinis tuis parabitur corona, qua quondam æternùm fulgebis. *Ex substantia tua fac Eleemosinam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere:ità enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ità esto misericors. - - - Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Quoniam Eleemosina ab omni peccato, & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram Summo DEO Eleemosina omnibus facientibus eam.* Ità vivum, DEOque olim acceptissimum, totisque visceribus suis expansum Malogranatum, vehementissimus Pauperum Orator Tobias senex ad Filium, pérque eum DEUS ad omnes *Tob. IV. v. 7. seqq.* Quid ultrà desideras, ut & tu cum Punicis malis dulcia pauperibus & peregrinis viscera ultrò expandas? Superest solùm, ut, sive in propria refectione tua demas tibi de cibo ac potu, sive Hospitem suscipias, in eo, & paupere quolibet, reficias Christum, & hunc in Eleemosinis tuis toto animo cogites.



SYM-

SYMBOLUM XXXIX.

Orandum cum Hoſpite.

TEXTUS. Ut nunciatus fuerit Hoſpes, occurratur ei à Priore, vel Fratribus cum omni officio Charitatis, & PRIMITÙS ORENT PARITER, & ſic ſibi ſocientur in pace. Quod pacis oſculum non prius offeratur, niſi ORATIONE PRÆMISSA, propter illuſiones diabolicas. - - - Suſcepti autem Hoſpites ducantur AD ORATIONEM, & poſtea ſedeat cum eis Prior, aut cui juſſerit ipſe. Legatur coram eo LEX DIVINA, ut ædificetur: & poſt hæc omnis ei exhibeatur humanitas. *Eod. Cap. LIII.*

39.



EXEGESES.

MOs Aquilæ *manè eſt*, *non* pabula *quærere* primùm,
Sed recreare priùs *lumina* Sole novo.
Hoſpiti amore pio quoties tua prandia ponis,
Tecum orans, Gnomas *audiat ille* ſacras.
Sic jungente DEO, *fruſtrato dæmonis aſtu*
Sanctus *erit*, *qui vos conſociabit*, Amor.

PHiloſophia ſancta, principium Charitatis petere à DEO, qui Charitas eſt. Caſta Nympha pura DEI Dilectio: fucum illa non patitur, neque larvam Amoris terreni. Niſi

Nisi in Hospite Christum susceperis, in eo Christum non diligis. Quod proinde ei non dederis, ille tibi neque debebit, neque reddet. Cautè observa, quid in Hospite ames, & colas: quid illi largiaris, & tribuas. Non tuum, sed Hospitis attende solatium, ac commodum. Nunciato hospite non gaude, quòd recreare te possis, sed ei, qui Christum tibi redhibet, obsequi. Secus si egeris, tam propè abes ab animæ tuæ periculo, quàm longè à merito & præmio. Illicò cum Seculi homine agens, sinè auspice Christo, Seculi pice & amore inquinaberis. Cave hujusmodi *illusiones diabolicas*, propter quas sanctè omninò statuit Pater tuus Sanctus, ut Pacis osculum non priùs offeras Hospiti, nisi Oratione præmissa: qua videlicet breviter, sed ex animo, intentionem obsequij tui unicè in Christum defigas. Nisi jussus à Priore, hoc servitij genus vide ne cupias, vel capiêre: absque enim Obedientiæ merito planè verearis, nè Christum se invito & quæras, & minimè reperias. Jussus cave, nè refugias, vel puniêre, quòd obedire detrectes. Ad Christum importunus non irrue: nulla enim ejusdem gratiâ id feceris. Missus fastidiosè nè refuge, oblatam nè gratiam respuas. Cùm accesseris, tu saltem ora, si hospitem commodè ad Orationem ducere nequeas: nè inducaris in tentationem, & fallaris qualicunque negotio perambulante in tenebris. Pransurus cum illo, Lectione sacra, quidni verò multò magis colloquio sacro, ut feret occasio, scitè eundem ædificare omninò satage: ut intelligat, se in Loco sacro hospitari. Utiliùs animam ejus pasces, quàm corpus. Si Aquila, quod ferunt naturalium rerum scriptores, sole potiùs, quàm cibo delectata, totis horis eidem inconnivis oculis intendat: quantò æquiùs homo, qui DEO se totum sacravit, singula inchoet à DEO, pro illo agat, cum eo finiat? Et tu itaque omne obsequium tuum, quantacunque potes, ratione dirige in Christum, utque dirigat & hospes, cui obsequeris, maximo studio cura. Hoc demum pacto *DEUS pacis & dilectionis* indubiè *erit vobiscum.*



SYMBOLUM XL.

Verus Finis profitendæ Religionis.

TEXTUS. Noviter quis veniens ad Converſionem, non ei facilis tribuatur ingreſſus: ſed ſicut Apoſtolus ait, *Probate ſpiritus, ſi ex DEO ſint.* Et Senior ei talis deputetur, qui aptus ſit ad lucrandas animas: qui ſuper eum curiosè omnino intendat, SI VERE QUÆRAT DEUM: ſi ſolicitus eſt ad Opus DEI: ad Obedientiam: ad Opprobria. *Cap. LVIII. de Diſciplina ſuſcipiendor. Fratrum.*

40.



EXEGESES.

F*Erre decet* punctum, centrúm*que ferire ſagittâ,*
Non orbem, jaculo vincere ſi quis amet.
Orbis *ad inſtar habet non infima commoda Clauſtrum:*
Sed Centrum *DEUS eſt, quò tela cuncta volent.*
Cætera ſi tangas, erras: neque Lucra tenebis
Votis digna tuis, nec tibi tuta ſalus.

IGnorare finem, eundem negligere, excidere illo, maximè apud Monachum, ilias malorum, & certa perditio.

Media ordine perverſo proſequi tanquam finem fatuitas noxia. Honor, qui hodie Religioni habetur, Victus ſinè cura, Officiorum in Clauſtro, & extra illud diverſitas, contubernium & charitas Fratrum, Studiorum opportunitas, orbem exſplicant, veluti metam, quæ palàm ſuſpenſa eſt, illiciis multis compoſitum ad rapiendos in Clauſtra juvenes. O nimiùm infelix, qui ad iſta collimat! Centrum in hac meta ſolus DEUS. Ecce! fixam ſanctiſſimi Legislatoris ſententiam: Curiosè omninò noviter venienti ad Converſionem intendendum eſſe, *ſi verè DEUM quærat*, non ſe: & ideò *ſolicitus ſit ad opus DEI*, non ad commoda ſua: *ad Obedientiam*, non voluntatem ſuam, & deſideria Cordis ſui: *ad opprobria*, non honores, & ſolatia. Ità qui non tendit contendens ad clauſtrum, uti Centrum non ferit, ità præmium nunquam referet etiam in loco ſancto animæ ſuæ ſalutem. Diſcite Tirones, diſcite juſtitiam moniti, & non temnere DEUM: quem fallere, uti forſitan homines, non poteſtis. Quod inchoatis veniendo ad clauſtrum, morte ſuo tempore ibidem conſummabitis: ſin porrò malè cæperitis, vix demum benè finietis. Quam Vitâ Monachi ſolicitè actâ promereri palmam neglexeritis, ſub mortem figurâ Monachi non conſequemini. Vivere itaque ſoli DEO in clauſtro eligite, neque unquam hoc propoſitum deſerite. Idem vobis eſſe debet Centrum tam hujus temporis, quàm nunquam finiendæ æternitatis. Nequaquam enim hìc à DEO cultu devoto ſejuncti, eum ibidem laudare cùm omnibus Sanctis ſinè fine poteritis.



SYMBOLUM XLI.

Salva ſub Lege Regulæ Libertas.

TEXTUS. Legatur ei (*Novitio*) hæc Regula per ordinem, ut ſciat, ad quid ingreditur, & dicatur ei: Ecce Lex, ſub qua militare vis. Si potes obſervare, ingredere: ſi verò non potes, liber diſcede. - - - Et ſi habita ſecum deliberatione promiſerit, ſe omnia velle cuſtodire, & cuncta ſibi imperata ſervare, tunc ſuſcipiatur in congregatione, ſciens, SE SUB LEGE REGULÆ conſtitutum - - quam SUB TAM MOROSA DELIBERATIONE licuit recuſare, aut ſuſcipere. *Eod. Cap. LVIII.*

41.



EXEGESES.

SOlſequium *Solem ſequitúrque*, *&* *reſpicit ultrò:*
Quod quia ſponte facit, *perpetuóque facit.*
Sic quotquot Clauſtri modò Relligione *tenentur*,
Libera turba *priùs*, quod voluêre, *tenent.*
Sic ſemper teneant, *teneant conſtanter*, *&* Arbor
Cui ſacra eſt, Fructus *ſint paritérque ſacri.*

MUtuis pactis, DEI nimirum & hominis, conſiſtit Religio: quæ cùm DEUS ſummè fidelis nunquam violet, ſtringitur ſanè & homo, ut ea pariter integra ſervet.

vet. Ni fecerit, DEUM quidem fide liberabit: hujus verò benedictio, quam noluit, à se plurimùm elongabitur. Quæ priùs calcaria à te spontè expetita sunt, defactò Lex tibi admovet: transit voluntas in necessitatem, sed ô quàm beatam, quia cogit in melius. Ad te pariter attinet, quod eleganter de Virginibus DEO sacris olim Tertulianus: *Tantò magis liberæ, quantò DEI solius ancillæ.* Paradoxum equidem in Mundo videtur, lege simul, ac liberè agere, spontè ac præcepto obedire. Sed beati Viri Voluntas liberrimè est in Lege Domini. Justo Lex non est posita, sub qua, veluti sub jugo invitè laboret: sed in quam duntaxat, velut in exemplum sancti sui propositi, ultrò libentérque intueatur. Ergò Genus electum Religiosi: quibus quod semel sponte atque liberrimè placuit, nunquam ampliùs displicet. Populus Acquisitionis, qui non è servis & mancipiis, sed filiis peculiaribus coaluit, quibus DEUS specialiter esse dignatur amantissimus Pater. Eja florete Solsequia beata, & Solem æternum, cujus nullus unquam occasus, jucundè sequamini in perpetuas æternitates.



SYM-

SYMBOLUM XLII.

Sacerdotis Perfectio.

TEXTUS. Ordinatus caveat elationem, aut ſuperbiam, nec quicquam præſumat, niſi quod ei ab Abbate præcipitur, ſciens, ſe multò magis diſciplinæ regulari ſubditum. Nec occaſione Sacerdotij obliviſcatur Regulæ Obedientiam, ſed MAGIS AC MAGIS IN DOMINO PROFICIAT. *Cap. LXII. de Sacerdotib. Monaſt.*

42.



EXEGESES.

CLara lucerna Domus *nónne eſt benè ſtructa* Feneſtra,
Quódque capit, Solis dividit illa jubar?
Omni Myſta *die* Divini *lumine* Solis
Fulgidus *ante Aram*, fulgeat *ipſe domi.*
Hunc omnes habeant Speculum, & Virtutis ideam,
Utque gradu propior, ſic ſit amore DEO.

MAgne Sacerdos Altiſſimi, monſtra te eſſe, quod es. Moyſes ex colloquio cum DEO reſplenduit, ut faciem ejus populus ferre non poſſet. Fulgorem tuum fac

fac esse Virtutem non vulgarem. Non modò te Sancta Sanctorum quotidie ingredi, sed & Sanctum Sanctorum è cælo revocare in terram, videre oculis, gestare manibus, nobísque ostendere, immò & intra teipsum sumendo recipere videmus. Prô quantùm te purum exigit DEUS! Talem porrò te omnes intueri unicè cupimus. Mediator es noster ad DEUM: nostram Victimam immolas: nostra per te Propitiatio quæritur: Legatione pro nobis fungeris apud DEUM: omnem nostram in te fiduciam ponimus. O absit æternùm, ut iram potiùs nobis, quàm gratiam, ipsíque tibi his tremendis ministeriis reportes! Quod si non facis, quomodo potes non sanctissimè conversari, & omnem justitiam primus implere? Per te, tanquam Fenestram decoram, niteat Domus nostra, sícque radios Divini Solis in te collige, ut & nos in lumine tuo ambulemus.



SYM-

SYMBOLUM XLIII.

Vitæ meritum, non Ætas discernenda.

TEXTUS. In omnibus omninò locis ÆTAS NON DISCERNATUR IN ORDINE, nec præjudicet: quia Samuel & Daniel pueri Presbyteros judicaverunt. *Cap. LXIII. de Ordine Congregat.* Vitæ merito & Sapientiæ doctrina eligatur, qui ordinandus est, ETIAMSI ULTIMUS FUERIT IN ORDINE Congregationis. *Cap. LXIV. de Ordinando Abbate.*

43.



EXEGESES.

NOn *cupis ætatem, fructum sed in Arbore quæris:*
Sæpe tibi juvenis præ sene chara magis.
Hinc etiam patere, ut præsit tibi Junior, *ornat*
Quem vitæ meritum, Gratia quémque docet.
Sæpe DEUS *multa* Juvenem *pietate nitere*
Quippe facit, sanctum *quem cupit ille* Senem.

NUlla est Virtus nostra, nisi ex DEO. Sed fontem Gratiæ DEI nemo sibi potentiùs & infeliciùs obstruit, quàm qui alienæ virtuti vel invidet, vel eam contemnit.

temnit. Idem DEUS dives in omnes, & Dominus omnium, unicuique, quantum, & ubi, & quando vult, æquiſſimè tribuit. Domino interim Vineæ ſimilis, exit primo manè, conducere operarios in vineam ſuam: & alios quidem mox in Aurora, alios hora tertia, alios hora ſexta, alios hora nona, alios demum hora undecima primùm, pacto denario, ſuam in vineam mittit. Quis murmuret adversùs hunc Dominum bonum? Solet is plerúmque inchoare in juvenibus, immò & in pueris ea dona, quibus eos in gravem usque ſenectutem fructum in Domo DEI eximium facere ab æterno decrevit. Hinc illud Prophetæ: *Bonum eſt homini, cùm portaverit jugum ab adoleſcentia ſua.* Item Sapientis: *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Fructus itaque bonos & uberes dum vides, ſive recens, ſive annoſa ſit Arbor, lætare. Benedic Dominum, neque faſtidias, quamprimum intelligis, velle eundem, ut his te frugibus paſcas. Non ignoras, eſſe DEUM, qui eſurientes, quibus nullus deſipit cibus, replere ſolet bonis, faſtidioſos verò divites dimittit inanes.



SYM-

SYMBOLUM XLIV.

Honore omnes præveniendi.

TEXTUS. Hunc ergò zelum (*bonum*) ferventissimo Amore exerceant Monachi: ideſt, ut HONORE SE INVICEM PRÆVENIANT. *Cap. LXXII. de Zelo Bono &c.*

44.



EXEGESES.

STella *nitet quævis: minor attamen eſſe videtur;*
Quæ verè major, lucidiórque micat.
Nemo hominum virtute omni caret undique vilis:
Nulla eſt, quæ nullo præſtet, Imago DEI.
Hinc nullus Fratrum merito *fraudetur honore,*
Ne ſpernas, præ te qui nitet ante DEUM.

RUtila Siderum pompa, arbitro ignorantium hominum oculo, planè perperam æſtimatur. Minora cenſentur illa, cùm revera maxima ſint, ad quorum celſitudinem oculorum noſtrorum hebetudo penetrare vix demum, & ne vix quidem valet. Majora creduntur, quæ propiùs viden-

dentur. Ità fallitur ſenſus noſter in Stellis: utinam verò non æquè, immò fœdiùs multò hallucinaretur animus noſter æſtimatione Confratrum. Caput omnis honoris in homine, quòd ſit Imago, & Servus DEI. Inde Corpus ejus eſt Templum DEI, & Anima ejus ſedes atque thronus eſt Gratiæ. Inde Chriſtus acquiſivit eum Sanguine ſuo, paſcit eum Corpore ſuo, vocat eum, & exſpectat ad Gloriam ſuam. Inde, quisquis eſt Religioſus, attinet ad peculiares Domeſticos DEI: quisquis eſt Sacerdos Altiſſimi, dignior Angelis, diſpenſat Myſteria tremenda DEI. Hæc in homine non intueri, animalium hominum eſt, qui non percipiunt ea, quæ DEI ſunt. Quisquis verò agitur ſpiritu DEI, hæc apud ſe jugiter penſat, ac proinde honore quemlibet ſinè dubio promtè & ex animo prævenit. Differunt equidem, uti Stella à Stella in claritate, ità Frater à Fratre merito Virtutis. Quemadmodum tamen Stella quælibet ideò nitet, quia Stella eſt, non quia magna eſt: ita & Fratrem honorare oportet, non ſuæ merito Virtutis, ſed quia Servus, & Imago eſt DEI. Uti Dominum laudare oportet in Sanctis ſuis, ita & honorare neceſſe eſt in Servis ſuis. Majeſtatem lædit, quotusquisque in ejus imaginem offendit. Meritorum Gradus ſicut in beatis cæli Civibus, ita pariter in Viatoribus ſolus diſcernit, appendit, novitque DEUS: qui & ſolus præmia habet. Temeritas ingens, occupare tribunal DEI. Judicium mendax, arbitrari de meritis. Tantus quilibet, quanti à DEO habetur, cujus conſilium nemo novit. Hoc ſcimus, velle DEUM, uti à nobis diligi omnem hominem, ita & honorari: quia homo eſt, quia ſervus ſuus, quia imago ſua. Sed hæc dilectio, honor iſte minimè excludunt correctionem fraternam hominis peccantis: modò cum honore fiat, dúmque peccato moderatè iraſcitur, peccantem non contemnat.



SYM-

SYMBOLUM XLV.

Infirmitatum alienarum tolerantia.

TEXTUS. INFIRMITATES ſive Corporum, ſive morum, patientiſſimè TOLERENT. *Eod. Cap. LXXII.*

45.



EXEGESES.

Alter in alterius tergo ſua cornua fulcit,
Dum Cervina *cohors flumen inire parat.*
Si tanti patiens oneris ſit beſtia bruta,
Infirmos homines *non ferat alter* homo?
Quod tibi vis fieri, fac Fratri: Corpore námque
Mente parique ſumus. Quemlibet error habet.

QUi infirmum hominem fecit Sapientiſſimus DEUS, æterno vinculo hominem homini, ſibi verò homines omnes ipſa infirmitate alligavit. Sic etenim locum fecit miſerationi noſtræ, & miſericordiæ ſuæ, quæ eſt ſuper omnia opera ejus. Beati ex nunc miſericordes, quoniam & ipſi miſericordiam conſequentur. Vitæ noſtræ meri-

meritum ſola propè Dilectio: Dilectionis objectum mutua infirmitas, ſi ſecundùm DEUM ſentiamus. Veritatem ipſam Incarnatam audire libeat, ità ratiocinantem Math. V. v. 43. *Audiſtis, quia dictum eſt: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros: benefacite his, qui oderunt vos. - - - Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & publicani hoc faciunt? & ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantùm, quid ampliùs facitis? nónne & Ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt, ut ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt: qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Vides, objectum dilectionis in homine, tam apud DEUM, quàm apud homines, non tam eſſe amabilitatem Corporis ejus, morúmque ſuorum, quàm utrorúmque infirmitatem? Non, quia infirmitas eſt, ſed quia miſerabilis eſt, DEIque ordinatione locum facit miſerationi. Hoc officium proximo ſuo quisquis fideliter præſtiterit in via præſenti, ubi onera ſunt & infirmitates: in Patria Requiem conſequetur perennem, quæ omnes omnibus oneribus eximit. Ne itaque patiamur beſtias homine humaniores. *Nónne*, infit beatus Auguſtinus, *quosdam Cervos alloquitur Apoſtolus, dicens: Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti?* Quisque ſuos patitur manes, quod facilè largimur Poëtæ: largiamur ergò & Chriſto, quod adeò ſolicitè ſuaſit: *Quæ vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Ecce! ſic decet nos omnem implere juſtitiam.



SYM-

SYMBOLUM XLVI.

Obedientia mutua.

TEXTUS. Obedientiam ſibi certatim impendant.

Eod. Cap. LXXII.

46.



EXEGESES.

DUm volucrum *dat* turba *fugam*, *ſecat aera pennis*,
Quælibet eſt princeps: *quò præit una*, *volant*.
Mutua *ſic Fratres Fratrum quoque* juſſa *capeſſant*,
Præſulis *imperio non reprobata* ſui.
Quisquis in hoc lapſus, *veniam prece ſupplice poſcat*,
Gaudeat ut ſtabili ſacra quiete Domus.

PRæſuli ante omnes, poſt Præſulem omnibus obediri, DEUS, & Natura, Lex, & Humanitas, Pax inſuper, & Charitas uno cumulo poſtulant. Natura duce, quam rectiſſimè condidit DEus, juniorum eſt omnium, Senibus deferre, uti Senum, juniores diligere. Interroga jumenta ſingula, & legem hanc mutuam à DEO vel brutis cordibus ſuis inſcriptam, oculis tuis undique pandent. Legis & Humanitatis æterno canone ſancitum, ut una in Republica, communibus

nibus in Rebus, communi consilio & consuetudine vivatur. Pax tandem & Charitas, quia unionis tranquillæ sunt vincula, scindi animos proprio sensu non ferunt. Rectum itaque ordinem, quisquis propositi sui nimiùm tenax est, multa difformitate pervertit. Ergò cedere facilè, si modò Veritas, & præceptum DEI, Lex deinde Regulæ, vel Jussa Superiorum id sinant, cedere, inquam, facilè, aut statim in concordiam redire, sicque mutuò sibi obedire, pacifici Fratris est, propriique sensus elationem studio humilitatis reprimere. Vincit in ejusmodi lucta, qui primùm se vinci libero magnóque animo permittit. Ità victo per hominem Charitas tribuit palmam, Pax coronam imponit, triumphum DEUS ipse adornat. Audeamus aliquid adversùm nos ipsos, ut nihil in nos audeat hostis antiquus, versipellis ille litium seminator. Quæcunque in eum Arma cujuslibet Virtutis expedias, nullis tamen eundem, & superbiam ejus, quàm sancta humilitate illustriùs certiúsque debellabis. Spiritus est, & ideò sapientior te, castior te, abstinentior te: sed humilis esse non potest. Hoc telum quia non habet, præ omnibus illi lethale. Per hoc devictus à Filio DEI, illud in omnibus servis DEI ante omnia tela perhorrescit, & fugit. Quantùm porrò illud ipse tibi eripere nititur, inflammans te ad sensum tuum contrà fratrem pertinaciùs tuendum: tantùm tu pro hoc telo servando, in quo uno ferè stat omnis Victoria tua, totis viribus connitere, & omni tempore decerta.



SYM-

SYMBOLUM XLVII.

Communis Utilitatis ſtudium.

TEXTUS. Nullus. quod SIBI UTILE judicat, ſequatur, ſed quod magis ALIJ. *Eod. Cap. LXXII.*

47.



EXEGESES.

TUnc Cytharæ *ludus mulcebit dulciter Aures*,
Chordula *ſi quævis* conſona *ritè canat.*
Tunc Domus omnigenæ Virtutis flore nitebit,
Si commune *juvent ſingula membra* bonum.
Non tibi *ſed* Domui *ſtudio quocunque labora:*
Flore Domus nitido, tu quoque flore nites.

NUlla felix & diuturna ſtabit Respublica, cujus cives commune bonum privato non anteponunt. Non DEI gratiam illa merebitur: non ſervabit pacem inteſtinam: non eludet vim hoſtium: non promovebit commercia: non opibus proficiet: quin potiùs, animis propria utilitate diviſis, ſe ipſa deſolabitur. Uti Cytharæ ſuavitatem harmonicam vel unica, quæ diſſonè ſtrepuerit, chordula totam in aure diſſolvit, & vitiat: ità proprij commodi impertinens ſtudium

um fortunam omnem Civitatis & Clauſtri peſſumdat. Juvenes & Virgines, ſenes cum junioribus laudare nomen Domini concordibus vocibus hortatus eſt Propheta Regius. Niniven Urbem ſervabat jejunium Regis, & populi, infantium atque lactentium, immò & pecorum ac jumentorum. Stetiſſet Jeruſalem, quantumvis à Romanis vallata, niſi animos Urbanorum occupaſſent ſtudia privata, ſcidiſſent Religionis diſſidia, invidia & ambitio in mutuas cædes armaſſent. Quid imperia florentia quarumlibet Monarchiarum, niſi commoda privata diſſolverunt? Væ Domui ſacræ, ubi ſinguli, vel plurimi quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ communia! vicino jam pede fores ejusdem deſolatio premit. Amate, Fratres, Gremium veſtrum, illúmque in ſinum fovendum omne ſtudium conferte, quo omnes fovemini. Hoc diſſipato ubi recubabitis? Anne commodior vobis noverca, quàm Mater? Horreat quilibet noſtrûm eſſe filius Benjamin, filius doloris, vitiô ſuô. Lachrymæ Matris, extortæ impietate, crudeles pœnæ filiorum, illo ultore, qui præcepit: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.* Nonne filii ſeculi parentibus ſuis egentibus ad alimoniam tenentur? quidni filij Religionis gremio ſuo ad communem utilitatem? Noverit ergò, ſe in DEUM, & Naturam peccare, in Legem, & Humanitatem delinquere, qui inſuper habet, quod adeò juſtè ac ſapienter inſtituit ſanctus ſuus Legislator: Ut *nullus, quod ſibi utile judicat, ſequatur, ſed quod magis alij.* Quis non patrem derideret, cujus filij ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ ſuæ, dum reficit: at verò dum laborandum eſt, deliciantibus vel otiantibus pro libitu filiis, domus tota mercenariis plena eſt? Hos amores tu Matri, ut eam omnium riſibus & ſannis proſtituas? Et filium te reputas? Et panem illius exigis? Qui non laborat, non manducet. Et ſi porrò manducet, nulla DEI benedictione manducabit.



SYM-

SYMBOLUM XLVIII.

Charitas Fraterna.

TEXTUS. Charitatem Fraternitatis casto impendant amore. *Eod. Cap. LXXII.*

48.



EXEGESES.

Q*Uam* quadri lapides *arcta compage ligati*
Componunt Turrim *robore quisque suo ,*
Non timet illa minas , semper fortissima perstat ,
Contemnens hostem fulmina nulla pavet.
Sic quoque , quam Fratrum Dilectio mutua *firmat ,*
Hostibus insultat non superanda Domus.

SI *Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi Civitas firma,* teste Sapiente: quàm bonum, quámque jucundum, immò quàm tutum erit, tot Fratres habitare in unum? Cohors fraterna sub labaro sancti Amoris ad bella procedens verè terribilis hostibus, ut Castrorum Acies ordinata. Quid ampliùs Dominus Exercituum ordinat in Sponsa sua Ecclesia præter Charitatem? quid, obsecro, præ Dilectione mutua desiderabiliùs cupit? Ipso certè perhibente id discimus, dum aje-

bat: *In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Sola teſſera Militum Chriſti Amor eſt Fratrum. Ergò è converſo diabolus Charitate fraterna nihil terribiliùs odit, nihilque potentiùs fugit. Hanc nè laceret, agite Lapides vivi, Lapides electi! Veſtram in tutelam Turrim veſtram amore mutuo communite. Hic ſi è cordibus veſtris exceſſerit, ecce! hoſtis antiquus muros habebit. Quo prætereà animo ſine amore Jugum Domini portabitis, ipſo, qui tantopere jubet dilectionem, non confortante, humeris multorum ſe ſubtrahentibus, bona Matre Charitate ſudores veſtros non abſtergente? Suave illud vultis? Diligite: & plusquam melle condietis. Solius Amoris eſt: è ſpinis Uvas, è tribulis ficus colligere. Amore fratrum ad Amorem DEI pervenitur: ſi tamen propter DEUM, ínque DEO amentur fratres, & ità amentur, ut ſe amari intelligant. Amor neque profanus, neque otioſus, ſine ſancto, & efficacia operis deſtitutus, illam Regulam poſſidet, per quam Lapides Sanctuarij in quadram aptentur, mutuò ſibi, & arctè, ac firmiter cohærentem. His Architectis turris Babel ædificabitur, quam DEUS confuſione labiorum & cordium vindicabit. Omnes ergo in amando DEO conſpiremus, & in hoc amore juvemus nos mutuò: ſic demum ædificabuntur muri & turres Jeruſalem.



SYM-

SYMBOLUM XLIX.

Abbatis Dilectio.

TEXTUS. ABBATEM ſuum ſincera & humili Charitate DILIGANT. *Eod. Cap. LXXII.*

49.



EXEGESES.

SEmper Apes Regem *tenero venerantur amore,*
Inque oculis unum hunc, hunc animisque ferunt.
Sic decet & Fratres communi aſſurgere Patri,
Hunc manibus, pedibus, corde, animóque ſequi.
Infelix Domus hæc, ubi languida corpora Præſul
Cogit in obſequium, ſed ſinè corde, ſuum.



Amore obſequi tantò dulcius, quàm adigi timore, quantum à ſe diſtant, meridiano ſub Sole, atque nocturnam & fuliginoſam ad lampadem, vel planè ad Lunam pallentem operari. Vis & vigor omnis diſciplinæ Regularis in Clauſtro ſincerus ac humilis amor Prælati. Corda qui poſſidet, corpora ſpontè obſequentia habet. Nobilis equus umbrâ virgæ regitur; amor ſincerus eadem planè eſt voluntate

 cum

cum dilecto. Quàm ſuave Fratribus omnibus foret, ad nutum eſſe ſub Abbate, ſi ante ſcholam Obedientiæ in ſchola amoris ſancti egregiam operam poſuiſſent. Quotquot interim Patrem non amant, ſanè videant, quomodo filiorum dulce nomen mereantur. Sapiens omni Mundo in exemplum propoſuit quatuor Minima terræ, ſapientiora ſapientibus, *Proverb. XXX.* Formicas videlicet, Lepuſculum, Locuſtam, & Stellionem. Magiſter prætereà Divinus fortunæ ſuæ nimiùm ſolicitos conſiderare juſſit Lilia agri, immò & fœnum, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur. Nos porrò non dedignemur, ut perutili nobis diſciplinæ ſit apum Reſpublica, ſummis ingeniis ferè ad prodigium obſtupeſcenda. Quantus in ea Reguli ſui amor? Hoc Uno deliciantur omnes: hoc valente omnes valent: hoc ſuperſtite nulla cedit. Migrantem comitantur, circumſtant fremitu, agmine juncto contra hoſtem tuentur. Pereunte illo tantùm non omnes emoriuntur triſtitia, diſperſæ diffugiunt, paulò pòſt etiam pereunt. Putamus, hæc animalcula minima, natura duce tam rectè ſapientia, nobis, qui juravimus, Abbatem Chriſti locò habere, quem & ejus prænomine honoramus, exemplo egregio, ſi verò Patrem ſpernamus, rubori non eſſe? Dulciùs præ apibus in corde diſcipuli mellificat Amor Magiſtri.



SYM-

SYMBOLUM L.

CHRISTO nihil præponendum.

TEXTUS. CHRISTO omninò nihil præponant: qui nos pariter ad vitam perducat æternam, Amen. *Eod. Capit. LXXII.*

50.



EXEGESES.

IGnem *quis vidit flammas convertere subtus,*
Pérque suos apices lambere utrúmque latus?
Dum superest, sursum est, *obstantia singula transit,*
Effugit, erumpit, séque per Astra levat.
Sic pete tu CHRISTUM, *mortalia singula sperne:*
Hic tibi sit Centrum, Dux, Via, Meta, Scopus.

CHRISTUS, DEUS de DEO, Lumen de Lumine, DEUS verus de DEO vero, de seipso testatus est: *Ignem veni mittere in terram. & quid volo, nisi ut accendatur?* Unde & Apostolus Christi tam liberè ad omnes: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextera DEI sedens: quæ sursum sunt, sapite,*

non quæ ſuper terram. Surſum igitur corda, quotquot ignem à Chriſto miſſum concepiſtis: quotquot à morte Seculi nequam cum eo conſurrexiſtis in clauſtro. Una ſit omnium teſſera: *Tamdiu ſurſum, quamdiu ſuperſum.* Omninò nihil ille Chriſto præponat, qui ab eo vocatus eſt de tenebris in admirabile lumen. Per quæ res primò fit, per eadem & conſervatur. Igne vocantis vos DEI accenſi, ſemper Ignis exiſtite. Propter Chriſtum cæpiſtis: in illo ſpirate, in illo exſpirate. Hunc timete, hunc amate: ſub illo humiliamini: huic obedite. Propter hunc pauperes, in eo ſolo divitias quærite. Propter illum abſtinete ab omni ſpecie mala: ex illo luceat lux veſtra coram hominibus. In hoc omnes diligite: hunc in pauperibus ſuſcipite: hunc in infirmis curate. Huic vivite: huic pſallite. Nemo veſtrûm, quæ ſua ſunt, uspiam quærat, ſed tantùm, quæ JESU Chriſti. Deligite vobis hunc Librum Vitæ: hunc quærite in Libris omnibus: huic omnia ſtudia veſtra in omni loco, & omni tempore conſecrate. Nunquam eum ex corde, ex animo, ex oculis veſtris dimittite ſuper terram: quem comprehendere æternùm in cælis concupiſcitis. *Si quis verò inter vos non amat Dominum JESUM CHRISTUM, anathema ſit,*

A M E N.



Lilienfeld

Coll: Gft.

12 Bl., 28 S., 4 Bl., 110 Bl.; 1 Taf. gest. von ...

2 fein gest. Kopfstücke u. 2 ebensolche Initialen

50 reizvolle Emblemkupfer.

vgl. Praz 363.

" HaKa 41/162

2 St. a. T.

1 St. a. 3. Bl.

Landwehr, German Emblem B. incl. [illegible]

331

1. leere Titelecke unten unschön ergänzt,

Bei den Kupfern [illegible] linke untere Ecke braun u. [illegible]

Hübscher Brokatpapierumschlag, nachgebunden

